16206. H. A. e. 1.

TRACTATUS
De
IMPEDIMENTIS
Dirimentibus Matrimonij in ſpecie,

In quo ſingula fideliter, & clarè ex Jure Canonico, & probatis Authoribus explicantur, & reſolutione variorum Caſuum ad praxim reducuntur

à P. J. NEPOMUCENO TROPPER ex Ord. Minor. Strict. Obſervant. Provinciæ S. Crucis Carnioliæ Lectore Generali.

Accedunt in fine Theſes Theologicæ ſub Ejuſdem præſidio publicè propugnatæ.

Cum facultate Superiorum.

LABACI,
Typis, Adami Friderici Reichhart Inc. Prov. Garn. Typographi
1744.

K. K. HOF-U. LANDES BIBLIOTHEK zu LAIBACH

K K
LYCEAL
BIBLIOTHEK
z. d.
LAIBACH

0310308 95

Approbatio Theologorum.

EX mandato A. R. P. Bennonis Waltreich Ministri Provincialis Opusculum, cui titulus: *Tractatus de Impedimentis dirimentibus Matrimonij &c.* à M. V. P. Joanne Nepomuceno Tropper Ss. Theologiæ Lectore generali actuali compositum, attentè legimus, & in eo non solùm nil orthodoxæ fidei, & bonis moribus contrarium reperimus: sed etiam ob styli claritatem, eruditionem, & magnam, quæ tùm conscientiæ arbitris, tùm Ecclesiasticis Tribunalibus obvenire potest, utilitatem, ut in lucem publicam prodire valeat, omninò dignum censemus. Datum Labaci in Conventu D. V. *Assumptæ* die 6. Julij 1744.

Fr. Godefridus Pfeiffer.
Sac. Canon. & Ss Theolog. Lector generalis actualis.

Fr. Vincentius Mariashich
Ss. Theolog. Lector generalis actualis.

Facultas A. R. P. Miniſtri Provincialis.

COncedo facultatem, ut Opus intitulatum: *Tractatus de Impedimentis Matrimonij dirimentibus &c.* à M. V. P. Joanne Nepomuceno Tropper Ss. Theologiæ Lectore generali actuali elucubratum, & à duobus Theologis reviſum, ſervatîs ſervandîs typis mandari queat. Datum in Conventu noſtro Labacenſi ad D. V. Aſſumptam die 22. Julij 1744.

(L.S.) Fr. Benno Waltreich
Reformatæ Provinciæ Carnioliæ Miniſter Provincialis.

Facultas Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

F. Raphaël à Lugagnano Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Madritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorũ S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

Dile-

Dilecto nobis in Christo P. F. Joanni Nepomuceno Tropper Lectori generali Nostræ reformatæ Provinciæ Carnioliæ salutem, & Seraphicam benedictionem.

Cùm juxta Apostolicas, Nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit Opus quoddam, à te compositum, cui titulus est: *Tractatus de Impedimentis dirimentibus Matrimonij &c.* tenore præsentium facultatem tibi impertimur, quatenùs, servandîs servatîs, illud typis mandare possis, & valeas. Vale. Romæ ex Ara Cœli die 30. Julij 1744.

F. Raphaël à Lugagnano
Reg.

(L. S.) *De mandato Reverendiss. in Christo Patris*
F. Silvius ab Arce prior
Secretarius Generalis Ordinis.

Facultas Reverendiss. Officij Episcopatûs Labacensis.

UT præsens *Tractatus de Impedimentis Matrimonij*

nij dirimentibus, â M. V. P. Joanne Nepomuceno Tropper Ord. Minor. Strict. Obſervantiæ Ss. Theologiæ Lectore Generali magnâ diligentiâ congeſtus, & â duobus Theologis ſui Ordinis lectus, & approbatus, typis mandari poſſit, licentiam hiſce concedimus. Ex Officio Epiſcopali Labaci die 20. Auguſti 1744.

Carolus Peer *Ss. Theologiæ Doctor, Canonicus, & Vicarius Generalis Labacenſis.*

Amice Lector!

NE ad publicum Actum, cui ratione Officij pro more præsidere teneor, vacuîs, ùt ajunt, manibûs compaream, sed munere aliquo benevolentiam tuam devinciam, præsens tibi offero Opusculum, tantò, ùt æstimo, gratius, quantò familiariorem exhibet materiam, cujus sistema, si mox in limine nôsse desideras, en illud in compendio!

Sistema
totius Tractatus.

Error.

§. 1. Explicatio Erroris. *Pag.* 4.
§. 2. Impedimentum Erroris. 6.
§. 3. Explicatur Error qualitatis redundantis in personam. 13.
§. 4. Resolvitur Casus de Errore. 19.

Conditio.

§. 1. Explicatio Conditionis. 25.

§. 2. Impedimentum Conditionis. 28.
§. 3. Proponuntur aliqua dubia. 35.
§. 4. Resolvitur Casus de Conditione. 45.

Votum.

§. 1. Explicatio Voti. 49.
§. 2. Impedimentum Voti solemnis, quantum ad matrimonium subsequens. 53.
§. 3. Impedimentum Voti solemnis quoad matrimonium antecedens. 67.
§. 4. Origo hujus Impedimenti 74.
§. 5. Resolvitur Casus de Voto solemni. 79.

Cognatio.

Articulus I.

Cognatio Spiritualis.

§. 1. Explicatio, & Impedimentum Cognationis Spiritualis. 84.
§. 2. Specialia de Patrinis. 93.
§. 3. Resolvitur Casus de Cognatione Spirituali. 101.

Articulus II.

Cognatio Naturalis.

§. 1. Explicatio Cognationis naturalis. 103.

§. 2. Im-

§. 2. Impedimentum Cognationis naturalis. 115.
§. 3. Resolvitur Casus de Cognatione naturali. 128.

Articulus III.

Cognatio Legalis.

§. 1. Explicatio, & Impedimentum Cognationis legalis. 139.
§. 2. Resolvitur Casus de Cognatione Legali. 147.

Crimen.

§. 1. Impedimentum Conjugicidij. 150.
§. 2. Impedimentum Adulterij cum promissione matrimonij. 159.
§. 3. Quid sentiendum de eo, qui hoc Impedimentum ignorat? 171.
§. 4. Resolvitur Casus de Impedimento Criminis. 179.

Cultûs Disparitas.

§. 1. Examinantur matrimonia Fidelium cum Infidelibus. 187.
§. 2. Examinantur matrimonia Catholicorum cum Acatholicis. 209.
§. 3. Resolvitur Casus de matrimonio Catholicæ cum Hæretico. 216.

Vis, *seu* Metûs.

§. 1. Explicatio Vis, seu Metûs. 225.
§. 2. Impedimentum Vis, seu Metûs. 226.
§. 3. Corrollaria ex dictis, ubi etiam de probatione Metûs. 237.
§. 4. Explanantur quædam dubia. 247.
§. 5. Resolvitur Casus de Impedimento Metûs. 257.

Ordo.

§. 1. Quid de Minoribus Ordinibus ad propositum dicendum? 265.
§. 2. Impedimentum Ordinum Majorum. 268.
§. 3. Resolvitur Casus de Impedimento Ordinis. 283.

Ligamen.

§. 1. Polygamia practicata. 291.
§. 2. Impedimentum Ligaminis. 294.
§. 3. Quædam pro praxi necessaria explicantur. 304.
§. 4. Resolvitur Casus de Impedimento Ligaminis. 316.

Justitia publicæ honestatis.

§. 1. Explicatur publicæ honestatis Justitia. 325.

Im-

§. 2. Impedimentum publicæ honestatis ratione Sponsalium. 326.
§. 3. Impedimentum publicæ honestatis ratione Matrimonij rati. 340.
§. 4. Resolvitur Casus de Impedimento publicæ honestatis. 346.

Affinitas.

§. 1. Explicatur Affinitas. 350.
§. 2. Impedimentum Affinitatis. 363.
§. 3. Quid de Affinitate, quæ matrimonium subsequitur? 375.
§. 4. Resolvitur Casus de Impedimēto Affinitatis. 383.

Impotentia.

§. 1. Explicatio Impotentiæ. 392.
§ 2. Impedimentum Impotentiæ. 395.
§ 3. Modus procedendi cum impotentibus. 405.
§. 4. Quid de Senibus, infirmis, hermaphroditis, eunuchis, & in indebita ætate constitutis sentiendum? 423.
§. 5. Resolvitur Casus de Impedimēmento Impotentiæ. 435.

Clandestineitas.

§. 1. Explicatio, & Impedimentum Clandestineitatis. 442.

§. 2. Ea, quæ Parochum, & Teſtes concernunt, dilucidantur. 446.
§. 3. Utrùm Clandeſtineitas ſit ubique impedimentum dirimens. 465.
§. 4. Reſolvitur Caſus de Impedimento Clandeſtineitatis. 475.

Raptus.

§. 1. Explicatio, & Impedimentum Raptûs. 484.
§. 2. Reſolvitur Caſus de Raptu. 493.

Ex hoc Siſtemate abundè vides, ex quibus, & quo ordine poſitis Opuſculum coacervetur. Si ultrà normam, quâ uſus ſum, prænoſcere cupis? ſequens eſt. Stylum adhibui currentem, &, ùt arbitror, clarum. A copioſa allegatione Authorum ſtudiò abſtinui, ſæpiſſimè, dum aliter viſum non erat, unicô contentus, licèt plures non deſint, ne intellectum tuum in legendo diſtraham. Dum ad Canones, & Decreta, quæ ſunt origo, & radix, ex qua Impedimenta emanârunt, deveni, ea ex ipſo fonte Juris fideliter, etiam longiuſculè quandoque, deſcripſi, ratus, â tua utilitate futurum, ſi ea hìc repereris, quæ aut in Corpore Juris operosè quærere, aut ſi illud ad manus non ſit,

sit, non sine nocumento ignorare debe-
res: tùm quòd plùs efficaciæ, & ponderis
insit formalibus Legum, quàm dum, lo-
cis tantùm indicatîs, per aliena verba
proponuntur: nativa etenim lux præful-
get adscititiæ. Quàmvis vix sit senten-
tia, quæ à contradicentibus non infesta-
tur, sufficere tamen censui ùt plurimùm,
eam, quæ præplacet, sua cum ratione,
aut authoritate simpliciter sequi, intac-
tîs, & inimpugnatîs (dum speciale moti-
vum aliud non suasit) fundamentîs op-
positîs, ne eis probabilitatis laudem de-
mere velle æstimer.

Omnia Impedimenta calamô æquè extensô prosecutus sui, licèt quædam raræ sint praxeos; sufficit namque ea contingere posse, ut scientia illorum suam habeat utilitatem. Quodlibet Impedimentorum proposito, & resoluto Casu aliquo ampliare studui, ad forum quoque externum oculum convertens, quô theoria ad praxim reddatur facilior. De Impedimentis merè impedientibus nil discussi, nec de dispensatione Dirimentium

(si

(ſi pauca quædam occurrente exigentiâ materiæ exceperis) ne enim Opuſculum in Tomum erigatur, brevitas temporis à Scholaſticis Lectionibus, & exercitijs vacui, calamum neceſſariò continuit. Si tamen ſtudij requiſita, & typi faverint alia fortè opportunitate defectum ſupplebo: interim exiguo hocce labore fruere, & vale.

TRAC-

TRACTATUS unicus.

De Impedimentis Matrimonium dirimentibus

Præambulum.

UNanimis est Catholicorum, & indubitata sententia, matrimonium non tantùm contractum esse naturalem, à Creatore omnium, qui Legem illam *Gen. 1. & 2. crescite, & multiplicamini*, impleri jussit: mox â cunabulis mundi in Paradiso institutum, & admissum, dum *Protoplastus ille* (*c. 18 xxvii. q. 2.* inter Paleas) *radix, & origo nostra, detractam sibi costam in mulierem videns formatam, prophetico spiritu inter alia protulit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea ... propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ &c.* quibus verbis quoque perpetuus, & indissolubilis nexus maris, & fœminæ ex mente Concilij Trid. *in præfat: sess. 24. de Sacram. matrim.* significatur. Verùm etiam â Salvatore nostro (*Matth. 19.* rejectô Repudij Libellô, qui Judæis aliquando concessus erat *Deutor. 23.* ob duritiam cordis eorum, & matrimoniô, primævæ,

& originariæ perpetuitati restituto) ad veram rationem, ac dignitatem Sacramenti novæ Legis elevatum esse, ut sit efficax signum Gratiæ, quæ, ùt explicat Trid. *ibid. naturalem amorem* (conjugum) *perficeret, & indissolubilem unitatem firmaret, conjugésque sanctificaret*, qui obicem peccati non ponunt, nec ita copulantur, *sicut Gentes, quæ ignorant Deum. Tob. c.* 18.

Hæc ratio Sacramenti efficit, quòd contractus matrimonij aliàs politicus, & civilibus Legibus subjectus, ab illis tanquã sacer (si Infideliũ conjugia excipias) omnino eximatur, nec alias, quàm Ecclesiæ Leges veneretur, quæ dum eidem patrocinium ferunt, firmum, & ratum manet. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Trid. *l. c. Can.* 12. Quàmquàm negari haud queat, â Principibus quoque sæcularibus (dummodo contra sacros Canones nihil attentaverint) per Leges circa contrahenda matrimonia publico bono prospici posse, & illos in earum transgressores animadvertere, salva semper manente integritate, & valore matrimonij, ùt constat ex *c. de Francia* 1. *de sponsalib. & matrim.*

Quapropter huic auctoritati innixa Ecclesia, duplicis generis constituit impedimen-

dimenta, alia purè *impedientia*, quæ valorem matrimonij non tangunt, sed illud illicitum duntaxat reddunt. Alia *dirimentia*, quæ ita inhabilitant personam, quam afficiunt, ut validum matrimonium celebrare nequeat: & talia, ijs adnumerata, quæ aliunde de Jure naturæ, & Divino matrimonium dirimunt, antiquitùs non nisi duodecim erant, sed accedentibûs per Trident. Conciliũ aliis duobûs, defacto ad decimum quartum numerum ascendunt, & in sequentibus versibus, quæ obviè leguntur, exprimi solent, licèt quidã eos variare maluerint.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs disparitas, Vis, Ordo Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia testis,
Raptáque sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Et hæc impedimenta dirimentia eo ordine, quem Versus exhibent, ex probatis DD. tùm Canonistîs, tùm Theologîs, ùt plurimùm verò ex Jure explicare, dilucidare, & resoluto ad finem cujuslibet impedimenti Casu aliquo, ad praxim accomõdare studebo. In Dei ergo Nomine incipio.

ERROR.

§. I.

Explicatio Erroris.

1. SI etiamnū homines non divitiis, ùt optabat Marcus Aurelius Imperator, *ad Fauſtinam Conjugem ſuam ſcribens*, ſed probitate: non pulchritudine, aut aliîs qualitatibûs, & finibûs, ſed virtute conciliarent connubia, quod volebat Lycurgus, dum Lacedæmonijs legem tulit, ne ulli liceat dotem dare, aut datam accipere; cujus etiam mentis dicitur fuiſſe Camillum Romanorum Belli Ducem, qui eô, quòd alij divites, alij nobiles, alij pulchras, juvencs &c. offerebant filias, conjugem nullam filio ſuo unico, triginta licèt annos nato, eligere voluit, quia, ùt ajebat, nemo erat, qui filiam virtute præſtantem ſe daturū polliceretur. Si ita, inquam, res in matrimonio ageretur, nequaquàm tot deceptiones, & errores intervenirent, & Judices conſcientiæ tot querelis non onerarētur â Conjugibus, qui ſe circumventos lamentantur, dum longè aliud ſubinde ſnô damnô experiuntur, quàm ante matrimonium ſperabant. Ut igitur innoteſcat, quid illis reſpondendum, de erroris impedimento hìc agam.

Error

2. Error itaque, qui est siniſtra apprehenſio: aut falſum judicium intellectûs ſecundum illud *c. In quibus xxii. q. 2. Errare, id eſt, aliud pro alio putare:* contingit vel *circa perſonam*, ſi nimirum credas hanc, quam ducis, eſſe Cajam, & eſt Bertha: vel *circa qualitatem*, qui error eſt accidentalis, ùt ſi judices, illam eſſe Virginem, divitem &c. quæ eſt corrupta, pauper ea enim omnia, quæ circumſtant perſonam, illique per accidens conveniunt, in propoſito nomine *qualitatis* veniunt, ùt *nobilitas, pulchritudo, integritas, ingenuitas, bona fama, legitimus thorus, honeſtas morum &c.* hísque oppoſita. Quàmquàm de qualitate *ſervitutis* ſingulariter agetur *infrà ſub impedimento conditionis.* Porrò uterque error poteſt eſſe *antecedens*, vel *concomitans.* Primus contingit, dum quis eam ducit, quam erroneè credit Titiam, aut nobilem, non ducturus, ſi ſibi de hoc errore conſtaret: unde ducit illam, quia tali errore laborat, & hôc ipsô hic error dicitur *dans cauſam contractui.* Alter verò contingit è contrario, dum omnino ita diſpoſitus eſt, ut etſi de ſuo errore informaretur, à propoſito tamen non deſiſteret, quia ſibi in perſona, quæcunque tandem ſit, multùm forſitan complacet.

3. Obſervandum verò, quòd quandoque poſſit quidquam accidentale eſſe reſpectu rei, de qua tractatur, ſubſtantiale autem reſpectu ipſius contractus, dum nimirum principaliter illud reſpicitur. Habes v. g. in Reda 6. equos albos, & unô demortuô cum Franciſco paciſceris de alio, qui numerum compleat. Recipipit ille pecuniam, & equum optimum, nigrum tamen adducit. In hoc caſu color albus eſt quidem accidens reſpectu equi, ſed de ſubſtantia contractûs, quia intentio tua non erat equum optimum duntaxat, ſed album ſimul emendi; niſi ergo Franciſcus equum album det, ex errore ſubſtantiali contractus nullus eſt. *Ex errore ſubſtantiali* dico, non gravi; non enim *gravis in ſe* requiritur, ad invalidandum contractum, ſed ſufficit etiam *levis in ſe*, qui tamen, dum intenditur â contrahente, ſine quo non contraheret, ſubſtantialis erit quoad Contractum.

§. II.

Impedimentum Erroris.

4. NOn extat in jure Canonico aliquod Reſcriptum Pontificium, aut Canon, vel deciſio Conciliaris de hoc Impedimento, ſicut aliàs de alijs, ſed *in Cauſa xxix.* quæſtio I. duntaxat, quæ tota Gratiani

tiani est, ùt in margine signatur: unde juxta illam tantùm, & alia Juris principia, ac rationem procedendum erit. Itaque.

5. *Affero* I. Error antecedens circa personam est impedimentum dirimens matrimonij: unde si hanc, quam ducis, putas esse Cajam, est autem Titia, nihil agis: *Error* siquidem *personæ conjugij consensum non admittit. Cauſ. & q. citt.* quia *erantis* (circa substantiam utique, seu personã) *nullus est consensus L. non idcirco C. de Juris, & facti ignorant:* dum autem consensus vel unius etiam conjugum abest, nullum est matrimonium *per vulgaria. Nec obstat* historia de Jacob *Gen.* 29. qui suppositam sibi Lyam habuit uxorem, licèt per errorem crediderit esse Rachelem, quam solùm desponsare voluit. *Nam*, ùt *DD. communiter* advertũt *ex c. & q. citt:* Jacob deprehenso errore consensit deinde in Lyam: *postquàm enim* ait Scotus 4. *d.* 30. *q.* 1. *§. ad primum.* Jacob *deprehendit esse Lyam, consensit novo consensu propter illa verba Laban: non est consuetudinis in loco isto, ut minores priùs tradantur ad nuptias* (erat autem Rachel natu minor) *& ex tunc fuit uxor ejus: aliàs benè concedo, quòd potuisset repudiâsse eam, sicut non suam.* Amore itaque poti-

undæ deinde Rachelis (notat P. Sporer *de matrim. c. 1. n 4.*) consensit Jacob in Lyam: tum etiam compassus illi, jam defloratæ per ignorantiam ex parte sua invincibilem. *Nec iterum* obstat ex eodem *lib. Gen.* 27. benedictio, quâ Isaac benedixit Jacob, putans hunc esse Esau. *Siquidem* & Isaac animadverso errore ratam habuit benedictionem priùs datam: unde dixit postmodum: *benedixi ei* (Jacob) *erit que benedictus* &c. & hanc ratificationem Scotus *cit.* attribuit instinctui Divino, quem ex ipso textu colligit.

6. *Assero II.* Error quoque concomitans circa personam, dirimit matrimonium. *Communis* contra Brancatum *cit. apud Mastrium in 4. Sentent. Disput. 7. n.* 388. Quapropter si tibi volenti ducere Cajam, adducatur Titia, túque id ignores, nullum erit matrimonium, etiamsi ejus fores animi, quòd Titiam etiam duceres, si illam esse scires: cùm enim voluntas non possit consentire in incognitum, hôc ipsô, quòd nescias esse Titiam, non consentis in illam, sícque subintrant Jura, & rationes, quæ matrimonium absque consensu negant. Quòd autem ita sis animô dispositus, quòd si etiam scires esse Titiam, & non Cajam, nihilominùs duceres: nihil suffragatur, cùm in matrimo-

nio

nio non attendatur voluntas, quæ esset, sed quæ est, dum illud contrahitur, aut saltem fuit, & necdum revocata virtualiter durat, ne matrimonium sine omni consensu contrahi dicatur. Secùs dicendum, si actu intenderes ducere præsentem, Caja illa sit, aut alia: quia videlicet intentio, & consensus tuus non sequitur errorem, quô credis esse Cajam, sed dirigitur in personam præsentē, quam vides. Simile occurrit in Sacramento Baptismi: nam si Parocho baptizanda præsentetur fœmella, ille verò intentionem habeat baptizandi puerum tantùm, quia videlicet infantem oblatum talem esse putat, nullus est baptismus: quàmvis verum sit, quòd fœmellam quoque abluere vellet, si talem esse sciret, ùt Theologi docent. Valeret autem baptismus, si Parochus, licèt eodem errore laborans, formaret, utì regulariter tenetur, intentionem abluendi infantem præsentem, cujuscumque sit sexûs.

7. Et quia error substantialis, seu personæ ex natura rei dirimit matrimonium, ex defectu videlicet voluntarij consensûs, hoc impedimentum etiam quoad Infidelium matrimonia attendi debet, qui Juri naturæ, & essentialibus contractûs subsunt. Quòd pariter intelli-

gendum est de errore circa qualitatem in casibus, in quibus ille *per dicenda* irritat matrimonium, quia similiter id fit defectu consensûs.

8. *Assero III.* Error in qualitate tantùm, etiam ex dolo proveniens (si non redundet in personam, nec qualitas illa fuerit per modum conditionis in pactum deducta, nec sit causa matrimonij) non annullat matrimonium. *DD. Communiter:* Sicut enim, *si quis emerit agrum, vel vineam, quam putabat esse uberrimam, quàm vis erraret in qualitate rerum, rem minùs fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere: ità similiter, qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam, vel Virginem, non potest eam dimittere. caus. & q. citt.* Si enim error non redundet in personam, nec consensus errantis sit restrictus ad qualitatem, nec ideo errans consentiat, quia erravit, consensus simpliciter, & absolutè fertur in personam ipsam: adeóque substantialiter voluntarius est, dum persona illa ipsa est, quacum intentio contrahendi erat, nec erit, nisi secundum quid involuntarius ex hoc, quòd persona eam, quam putâras, qualitatem non habeat. Meritò igitur dicitur *locô cit.* quòd *error fortunæ, & qualitatis non excludit consen-*

sum

ſum. Quòd autem dolô adductus ſis ad credendum, talem qualitatem illi perſonæ ineſſe, non obeſt: ſi namque ipſe error non impedit conſenſum ſimpliciter voluntarium, non impedit illum, undecumque, etiam ex dolo, proveniat, niſi aliud ab Eccleſia, cujus poteſtatis eſt, impedimenta ſtatuere, decernatur, quod hucuſque factum minimè legitur. Idem contingit in Profeſſione Religioſa, quæ valida eſt, etſi profitens credat, eam tanto rigore, aſperitate &c. veſtitam non eſſe. Sporer *de matrim. n.* 5. Engel. *lib.* 4. *t.* 1. §. 4. *n.* 4. ac alij.

9. Licèt autem talis cognito errore hanc non duceret, hôc ipsô tamen, quòd actu in eam conſentiat, ſe ab illa liberare nequit; quemadmodùm enim non attenditur conſenſus, qui eſſet, ſed qui actu eſt, aut fuit, & virtute manet *ex dictis N.* 6. ita neque diſſenſus, aut nolitio ducendi, quæ numquàm fuit, nec eſt, ſed in caſu tantùm foret. Et reverà quàm ſæpè audimus conjuges, ſibi invicem objicientes: *Si prævidiſſem, tam parvam tibi dotem futuram: me tui intuitu ad officium non promovendum: te tàm duræ cervicis, tàm ſævæ eſſe indolis* &c. *nequaquàm tuus fuiſſem maritus, aut uxorem me non habuiſſes!* nec tamen ulli in mentem

venit,

venit, dissolutionem matrimonij quærere.

10. *Assero IV.* Error circa qualitatẽ, dum ea *actu, vel virtute* in conditionem deducitur, dirimit matrimonium. Ita *omnes per vulgaria*, quòd omnis contractus, sub conditione honesta initus, ea non subsistente, sit nullus, quia *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*: ùt noti Juris est: dum igitur non est intentio se fœminæ obligandi, nisi sub conditione, illâ non verificatâ, nulla est obligatio. Dixi: *actu, vel virtute*; sufficit namque, quòd quis conditionem ante contractum matrimonij intenderit, nec animum mutaverit: quia intentio conditionis virtualiter permanet. Sporer *l. c. n.* 6. Reiffenst. *de matrim. tit.* 1. *n.* 349. ac alij *communiter*, argumentô desumptô ex alijs Sacramentis, ad quæ virtualis intentio sufficit. Unde qui sæpiùs diceret, se talem nunquàm ducere velle, si sciret eam legitimi thori filiam non esse, à vinculo liber erit, dum innotuerit defectus Natalium, quámvis hanc conditionem in actuali matrimonij contractu non habuisset, modò priorem suam mentem non revocaverit.

11. *Assero V.* Error qualitatis, dum redundat in personam, vel est unica,

aut

aut saltem principalis causa matrimonij (secus, si sit causa merè extrinseca, & impulsiva) est verum impedimentum dirimens. Et in hac Assertione, quæ principale punctum tangit, amplius sistendum. Unde pono.

§. III.

Explicatur hæc Assertio V.

12. *Quæres I.* Quando error qualitatis redundat in personam? *Respondeo*, hoc ita explicari à Reiffenst. Sporer *citt.* Elbel *de matrim conferen.* 4 *n.* 89. aliisque: si persona, quæ desideratur in conjugē, non est à visu nota, sed per qualitatē aliquam tantùm, quæ dicitur illi inesse: si non traditur illa, sed alia, quæ tali qualitate caret, error circa qualitatem redundat in personam, dirimítque matrimonium: e. g. Audisti Græcensi Consuli duas esse Filias. Neutram noscis, sed quia dicitur, unam ex illis pingvis substantiæ hæredem nuper factam ex testamento consanguinei, recèns mortui, petis, ut hæc tibi in uxorem detur. Si tibi non illa, sed altera illius soror præsentetur, eámque ducas, nullum est matrimonium. Ratio est: quia (idem judiciū est de alijs similibus casibus, qui quàm maximè contingere possunt, dum matrimonium

nium per Procuratorem contrahitur) tu vis illam tantùm, quæ hæreditatē adiit, non ejus sororem: si ergo soror tibi traditur, non traditur illa, quam ducere vis, sed alia, in quam non consentis, nisi ex errore substantiali, putans videlicet illam esse, quæ hæres facta dicitur. Familiare in proposito est DD. exemplum de eo, qui vult ducere primogenitam, & offertur secundò genita.

13. *Sed quid*, si tibi tradatur quidem illa, quam hæredem factam audiisti: at post matrimonium, cum illa contractum, dolenter experiris, divitias quandoque fingi, ut filiæ nubiles facilius matrimonium inveniant? *Respondeo*, in hoc etiam casu matrimonium nullum esse. Ratio est, quia cùm persona tibi ignota fuerit, non potuisti immediatè in illam consentire, sed mediante qualitate duntaxat, seu hæreditate tibi ex fama notâ, ut proinde tui consensûs objectum non fuerit persona sola, sed persona hæreditate vestita; per consequens, si hæreditas non verificatur, deficit principalis pars objecti, in quod tuus ferebatur consensus, éstque obid nullus. Atque in hoc casu crederem intervenire errorem circa qualitatem, qui redundat in personam, seu æquivalet errori personæ, cùm in ca-

su

su prioris N. contingat potiùs error ipsius personæ hôc ipsô, quòd non tradatur illa, quæ petitur, sed alia.

14. *Quæres II.* Quid sentiendum, dum error circa qualitatem dat causam contractui matrimoniali? *Respond. Si* unicus finis, & motivum, ob quod ducis hanc personam, sit qualitas aliqua, ob errorem in illa nullum erit matrimoniũ. Non possunt Viri in uxorem ducere divitias, nobilitatem, honorem: non possunt fœminæ thesauro, officio, applausui nubere, quoniam contractus matrimonialis est personalis, & inter personas initur. Ast nihil vetat, quod quandoque fieri videmus, videlicet aliquam ex his qualitatibus ultimatim intendi, & quia illa faciliori via obtineri haud potest, matrimonium, tanquàm medium opportunius, cum ea persona eligitur, quæ apta ad illam obtinendam qualitatem videtur. Cùm igitur *in hac facti contingentia matrimonium absolutè non* desideretur, sed sub respectu tantùm, & conditione: si persona sit utilis ad finem intentum (nec enim medium appetitur, nisi propter finem, ùt Philosophi docent) si erroneè credatur, illam esse utilem, quæ non est, matrimonium ex defectu consensûs nullum erit. Vide

Ca-

Caramuel *Theol. fundamental lib. 3 n. mihi* 3740. qui etiam *in sua Theol. Regul. tom.* 2. *n.* 3532. consultus de valore Professionis, factæ â quodam Religioso ex errore, ante resolutionem præmittit tanquàm supposítum, quòd error, & dolus circa contractûs qualitatem annullant eundē, quando qualitas est principale motivum, & causa promittendi, & contrahendi: & hæc doctrina juvat quoque ea, quæ *sequenti Numerô* dicam. Casum verò hac de re vide §. *sequent.* Vide etiam, quæ dixi *N.* 3. Atque ex his constat, finem operis matrimonij esse quandoque distinctum â fine operantis, seu contrahentis.

15. Ampliùs dicunt Gobat, Kugler, quos citat, & sequitur P. Elbel *loc. cit. n.* 90. nimirum errorem circa qualitatem probabiliùs invalidare matrimoniū in casu, quô de qualitate antea tractatum erat: cui doctrinæ standum censeo, dum de qualitate fervidè, & singulariter agebatur, v. g. de divitijs, nobilitate &c. & quidem ita, ut ex hoc tractatu, aliísque circumstantijs (puta, si persona priùs non exactè secundum omnes circumstantias cognita sit, aut multùm deformis, vel quoad statum minimè proportionata, infamis &c.) verosimile fiat, alteram partem non habuisse respectum ad solā personam

ſonam, ſed etiam ad qualitatem illam. In hoc etenim caſu perſona, & qualitas adintegrant unum objectum conſensûs, qui nullus eſt deficiente qualitate, tamquàm aliquo principali, de quo tam ſolicitè tractabatur.

Meritò itaque Elbel *l. c. n.* 96. reſolvit, probabilius nullū fuiſſe matrimoniū Semproniæ prædivitis, & honeſtæ Virginis, nubentis Sempronio, qui mentiebatur ſe cujuſdam Principis Miniſtrum, multísque, ut id perſuadeat, confictîs litterîs uſus fuit. Repertum verò deinde erat, eum impoſtorem eſſe, qui ob varia, hinc inde patrata crimina, aliquoties jam exulavit, & fugâ ſibi conſuluit. Vehementer ſiquidem præſumitur, Semproniam nobilem, & prædivitem Virginem homini tam infami, cujus conditionem aliàs ignoraverat, nequaquàm nubere voluiſſe, ac etiam ſpecialiter de ſtatu illius actum fuiſſe, cùm falsîs litterîs ad id, quod de ſuo ſtatu fingebat, perſuadendū uti debuerit. Immò hìc quoque poteſt dici, interveniſſe conditionem: *Si ſcilicet talis eſt Sempronius, qualem ſe eſſe dicit*, ùt ex Layman *l. 3. tract. 4. c. 5. n. 3.* conſtat, ubi ait: *Si error verſetur circa ſubſtantiam valdè immutantem objectum, & nimis excedentem promittentis exiſtimationem*

nem, censeri potest promissio non simpliciter facta, sed sub virtuali conditione existimatæ circumstantiæ.

16. Notandum verò per omnem modum, in hoc toto Quæsito II. sermonem fuisse de errore qualitatis, quæ est unica, aut saltem principalis ratio motiva matrimonij. *Si* enim esset causa secundaria tantùm, & impulsiva, judico, errorem circa talem qualitatem inter dirimentia impedimenta non recenseri. Et in hoc tantùm sensu intelligo Canonistas, & Theologos, qui errorem circa qualitatē, dantem causam contractui, dirimere matrimonium nolunt ob rationem, quòd consensus circa personam, quæ ducitur, totaliter salvetur, licèt causa, quæ facilitabat matrimonium, aut gratius quoque faciebat, non subsistat: sícque error contingat circa accidentalia duntaxat, nec matrimonium infringere possit: desumptô argumentô â paritate dispensationis in causis matrimonij, quæ valida est, deficiente etiam causâ extrinsecâ, & merè impulsivâ. Inde fit, quòd non audiretur, qui reclamare vellet contra matrimonium ex eo, quòd conjugem, quam habet, nequaquàm duxisset, si prævidisset splendida illa promissa, quibus lactabatur, vacua fuisse, & inania, nisi deducat quoque,

se

se non nisi ab illis unicè, vel principaliter motum, eam in uxorem accepisse. Quemadmodum etiam nequit impugnari legatum, quod ex causa falsa processit, ùt si Testator diceret: *Titio, quia negotia mea curavit: quia patrocinio ejus liberatus sum, lego* &c. quàmvis Titius nec negotia curaverit, nec ejus patrocinio liberatus sit, valet legatum. §. *longè* 31. *Inst. de leg.* & *L. Demonstratio falsa.* 17. §. *quod autem*, nisi indubitanter probetur, quòd Testator legatum numquàm feciſſet, nisi tali errore præventus. Vide DD. *de Testamentis*, & *ultimis voluntatibus* scribentes.

§ IV.

Resolvitur Casus de Errore.

VEneratVenetias negotiorum causâ Cresulus homo Germanus, dives, sed non nobilis, nec animum gerens, aliquam ibidem ducendi. Reperit ibi fœminam famæ non bonæ, quæ se dicebat filiam Comitis N. opulenti, & alti stematis: fugisse parentum tyrannidem, & nubere velle. Cognoscebat Cresulus Comitem, sciebat illum habere filiam, quæ rigorem domesticum pertæsa, ad Monialium Ascterium confugerat. Credidit hanc esse, & illam in uxorem duxit. Revertitur in patriam, opinione jam sua tanto

Comiti affinis factus: at ibi reperit Comitis filiam adhuc hærere apud Moniales, & hanc esse meretriculam quamdam, Lanionis filiam, quæ castæ, & nobilis Virginis nomen sumpserat. Conqueritur, & matrimonium esse nullum vociferatur. Quid consilij?

17. *Respondeo*, sciscitandum à Cresulo, utrùm in hanc fœminam absolutè consenserit, fortè, quia corporales illius dotes multùm placebant, quòd vel maximè fieri potuit, si illa ex carnali commercio devinctum, aut addictum sibi habuit Cresulum: vel ideo tantùm illam elegit, ut se optimæ domui affinem redderet, habiturus filios maternæ nobilitatis, immò & bonorum hæredes? si primum; validum est matrimonium *ex dictis NN. 8. & 16.* Si secundum: contra matrimonium procedendum est *juxta N. 14.* nisi, detecto etiam errore, matrimoniali Jure usus fuisset, eámque ùt maritus, carnaliter cognovisset. Nam cùm matrimonium cum ea eatenùs tantùm voluerit, quatenùs erat via, & medium, se tam nobili familiæ aggregandi, voluntas illã ducendi in re conditionata erat, & tam parùm censendus est in illam consensisse, quàm parùm Lanionis filia utilis est ad eos nobiles fines, quos Cresulus sibi præfixerat.

18 Et

18. Et reverà, ſi candidè fateatur, ſe non veniſſe Venetias, animò ibidem ducendi aliquam (dum ergò ibidem hoc non obſtante duxit, utique id factum deſiderio, ſe tam conſpicuæ aſſociandi familiæ) ultrà etiam ſe ſciviſſe, fœminam hanc Venetiis non benè audire: non ergo illam duxiſſe, quia bona erat, ſed quia ad fines præſtitutos utilis viſa; ſæpè enim contingit, quòd *dum dos ſit* (nobilitas, aut aliud notabile commodum) *nullum vitium vitio vertitur*, ùt ait Plaut. ſed quodcumque palliatur & excuſarur. Si inquam, candidè hæc exponat, quæ magnam probabilitatem præſeferunt, non nimis durum experietur confeſſarium.

19. *Sed quid*, ſi in foro contentioſo putatitiæ ſuæ uxori litem moverit, ſéque ab illa, etiam per ſententiam publicam liberare voluerit? *Reſpondeo*: cùm in foro hoc multam reflexionem cauſent gravia pericula ſcandali, damni prolium, perturbationis Reipublicæ &c. quæ facilè orirentur ex diſſolutione matrimonij ob prætenſum errorem circa qualitatem, quæ ſemper, dum quis uxori, quæ ingrata eſt, valedicere cuperet, per modum conditionis, aut principalis motivi matrimonij fingi poteſt: arduum Creſulus experietur negotium, nec fidem eorum,

quæ allegaverit, à Judice obtinebit, nisi ea omnia, gravibûs rationibûs, & fortibûs documentîs, aut testibûs probaverit; Jura enim volunt pro matrimonij indissolubilitate pro possibili stari debere. Et tametsi, dum de contrahendo matrimonio agitur, tam claræ, & plenæ probationes non exigantur: *si* tamen *matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolui. c. super eo. 22. de testib. & attestat.* Unde concludit Caramuel *l.c. n.* 3743. ex errore nulliter contrahentes, difficillimè per sententiam definitivam Ecclesiastici Consistorij juvari posse.

20. Optimè autem agent, si consilium, quod Elbel *cit. n.* 95. ex Clericato adducit, secuti, qualitatem illam, cujus motivô ducuntur in contractu matrimonij, expressè in pactum, & conditionem deduxerint (addo: aut saltem coram alijs protestati, etiam ante contractum, fuerint, se numquam contracturos, si hæc qualitas, quæ dicitur, non adesset; nã visâ illa conditione, aut depositô juramêtô ab ijs, qui protestationẽ audiêrant, sine difficultate sententiam nullitatis conjugij obtinebunt. Quamquàm enim difficultas in talis facti contingentia in eo ultimatim fita sit, utrùm, qui conditionem expresserat, aut coram alijs protestatus est,

est, se nullatenus, nisi ob talem qualitatem contrahere velle, animum suum non revocaverit: nam omninò certum non est, eum suum consensum in actuali contractu ad illam conditionem, aut qualitatem ligâsse: quis enim novit, an non ille suam mentem mutaverit, vel ob complacentiam in persona absolutè deinde consenserit? & si non tempore contractûs, saltem post illum? & ob hanc incertitudinem, etiam probatio conditionis appositæ, aut protestationis coram alijs factæ, non videretur ad concludendum nullitatem matrimonij sufficere: qui enim simpliciter consensum negat, hanc negativam probare planè nequit, *cùm per rerum naturam factum* (ergo multo magis consensum purè internum) *negantis probatio nulla sit. L. Actor. quod asseverat. C. de probat.* Nihilominùs quia, ubi probationes directæ haberi nequeunt, tunc id, quod per circumstantias, & præsumptiones probatur, verum esse censetur. *arg. c. tertio loco. 5. de probat.* nisi altera pars oppositum probaverit, ùt docet cum alijs Reiffenst. *lib. 2. tit. 19. n. 67.* poterit Judex, ùt dictum, ad sententiam nullitatis conjugij descendere. Sed hæc incidenter tetigisse sufficit, amplius de probatione, ad nullitatem matrimonij necessariâ, alibi tractatur.

21. Illud notandum, quòd tametsi tale matrimonium juxta allegata laboret vitiô nullitatis, confessarium tamen inducere debere, ut illud novo consensu ratificetur, & hoc ob bonum prolis, si quæ suscepta supponatur, ad vitandum scandalum, aliúdque incomodum, quod inde timeri fors posset; & pœnitens tantò facilius eò inducetur, ut ex necessitate faciat virtutem, quantò magis confiderit in Divinam bonitatem, quæ hanc fraudem, quam patitur, aut passus fuit, aliis felicitatibus indubiè alleviabit. Si denique dicta pericula, & incomoda non adsint, nec pœnitens animum revalidandi matrimonium habeat, in foro tamen externo intentum suum non assequatur: ita se gerat, ut nullatenus jure matrimoniali erga uxorem utatur sive activô, sive passivô, sed eidem, tanquàm frater sorori cohabitet *per ea, quæ de licito, & illicito usu matrimonij* traduntur: nisi forsitan causam divortij objicere, & evincere possit. Dum verò fugæ ad aliam Regionem locus erit, arripiat illam, modò sine scandalo, & aliorum damnorum timore consuli valeat, & in alia Regione aut cœlib magat vitam, aut aliud conjugium attentet, prout sibi magis expediens visum fuerit. Sed de hoc ultimo vide, quæ in-

infrà agendo *de Impedimento Voti solemnis* fusè dicam, & probabo *àN.* 54.

CONDITIO.

§. I.

Explicatio Conditionis.

22. VArias esse conditiones, & qualitates personam, matrimoniũ contrahentem, afficientes, visum est in priori Impedimento: sed in præsentiarum venit conditio *servitutis propriè talis* duntaxat consideranda. *Propriè talis*, inquam; cùm enim servitus dicat subjectionem ad alterius dominium, sicut variô modô hæc subjectio contingere potest, varia quoque est servitus: & quidem, ut nihil dicam de Famulis, qui ad tempus tantùm servitia Domino locant: alij sunt servi *adscriptitij*, qui glebæ, aut prædio colendo perpetuùm addicti, sine Domini licentia inde recedere nequeunt, & redditus Domino applicare tenentur, demptis iis, quæ sunt ad victum necessaria, & ad recompensationem expensarũ, in colendo prædio absumptarum. Alij sunt *originarij*, qui scilicet ex Adscriptitijs originantur. Alij denique *propriè tales*,

in quorum personas, & actiones magnum Dominus obtinet Dominium, cùm eos & mittendi in longinqua, & vendendi, ac commutandi arbitrium habeat.

23. Et hæc est dura illa servitus, quàm Innocentius graviter deplorans, *de vilitate humanæ conditionis* exclamat: *O extrema conditio servitutis! natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit. Servus cogitur pati, & nemo finitur compati: dolere compellitur, & nemo condolere permittitur* Extrema profectò hæc servitutis conditio est, quæ ita enervat hominem, ut civiliter sit quasi non ens. Homo sine capite non est homo, & servus censebatur olim esse acephalus *L. quod attinet* 32. *ff. de R. I.* ac 1. *Politic.* voluit Aristoteles, illum ad Dominum pertinere, sicut pecus. Verùm quia hæc servitus inhumana prorsus est, placeat audire Doctorem Subtilem, qui 4. *d.* 36. *q.* 1. *§. ad argumenta inquit: magnam crudelitatem fuisse in prima inductione servitutis, quia hominem arbitrio liberum, & dominum suarum actionum ad virtuosè agendum, facit quasi brutum, & liberò arbitrio non utentem, nec potentem agere virtuosè*: quam libertatem in servo etiam Sophocles agnovit, asserens, quòd *etsi corpus servum sit, tamen mens est libera*: nec enim fieri justè potest,

ut

ut homini nulla præ bruto eminentia concedatur.

24. S. Ambrosio videtur, servitutem ab ebrietate progerminatam; ait enim: *manebat ante vini inventionem omnibus inconcussa libertas: nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere. Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset.* At difficilis est Caramueli hæc sententia: fatetur quidem, paucos inter ebrietatis initium (quod fuit in Noacho *Gen.* 7.) & ebrietatem interseri annos: *verùm enim verò*, ait *in Theol. Fundam. l. 3. n. 3752. propter ebrietatem homines fuisse servitute damnatos, sicut non audeo asserere, sic nec D. Ambrosio adversari præsumo.* Quidquid sit, indubium est, quod *de vera innocent. c.* 164. sentit S. August. *Nomen, & conditionem servitutis culpa genuit, non natura.* Dicit quidem Seneca 7. *contr.* 6. *Nemo natus liber, nemo servus: hæc postea nomina singulis imposuit fortuna*, sed id intelligendum videtur de indifferentia ad servitutem, & libertatem, quatenus ex sui primæva nativitate, aut origine homo natus quidem est liber, non tamen cum ea necessitate, ut talis permanere deberet, quàmvis permansisset, si originaria culpa non præcessisset, tollens privilegium libertatis, & concedens fortunæ, ut ali-

aliquos servitute damnet per nativitatem (dum videlicet ab ancilla nascuntur) captivitatem, venditionem, aut justam etiam Principis sententiam, quàm ùt legem tulit Periander unus ex septem Græciæ Sapientibus, quæ in Antonio de Guevara *l.* 1. *c.* 40. ita legitur: *Si quis fortè in rixa alium interfecerit, modò ne fraude fiat, capite neutiquam luito: sed occisi fratris, aut consanguinei perpetuùm servus esto*, quia, ùt ibi additur, *levior pœna est mors brevis, quàm diuturna servitus*: & secundum Curtium *lib.* 8. *tristius morte est in servitute mori.*

Quomodò, & quando ex dictis modis aliquis justè servituti propriæ tali subjiciatur, videndum relinquo apud Jurisconsultos, & Canonistas *in lib.* 1. *Tit. xiix. Decret.*

§. II.

Impedimentum Conditionis.

25. ROmani olim Cives servis, vilibúsque personis non nisi contubernia concedentes, matrimonia inter sua tantùm privilegia recensebant: *Inter servos*, ait Paulus *L.* 2. *Sentent. C.* 20. *& liberos matrimonia contrahi non possunt, contubernium potest*, quatenus Domini, non expectato servorum consensu, ancillas, aliás-

aliáſque fœminas illis jungebant, vel in perpetuum, vel ad tempus. Jure quoque Civili *L. cum ancillis* 3. *C. de inceſt. nupt.* omnia liberorum cum ancillis reprobantur matrimonia ea ratione, quòd *ex hujusmodi contubernio ſervi naſcantur*, quos utique conſonum non eſt beneficiô taliũ contuberniorum multiplicari. Verùm quia à veteribus Romanis practicata contubernia fornicationis potiùs promovebant turpitudinem: nec enim ſine conſenſu, aut ad tempus tantùm matrimonij vinculum ſubſiſtit; allata quoque Lex Juris Civilis, cuncta liberorum cum ancillis irritans matrimonia, in hac univerſalitate approbari nequit.

26. Ideo *c.* 1. *de conjug. ſervor.* lex illa eſt emendata: *Juxta verbum Apoſtoli ſicut in Chriſto JESU neque liber, neque ſervus eſt à Sacramentis Eccleſiæ removendus: ita nec inter ſervos debent matrimoniæ ullatenus prohiberi: & ſi contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nullæ ratione ſunt propter hoc diſſolvenda: debitæ tamen, & conſuetæ ſervitia non minùs debent proprijs Dominis exhiberi.*

Ex quo *capit.* evidens eſt *I.* poſſe ſervum cum ancilla & licitum, & validum celebrare matrimonium, etiamſi deſit conſenſus Patroni: quemadmodum enim

jus

jus habent ad alia Sacramenta Ecclesiæ, cum statu servili compatibilia, & in utilitatem suscipientium duntaxat ordinata: ita non sunt privandi jure ad hoc magnũ Sacramentum matrimonij. Meritò igitur à DD. redarguuntur illi Domini, qui similium conjugia prohibent, & impediunt. Matrimonium siquidem est ex fine suo secundario ad remedium fragilitatis naturæ, quæ sicut se apud omnes insinuat, ita hoc antidotum contra eam nemini, nisi qui se sponte abillo retrahit, negandum videtur: præsertim cùm, ne Domini, aliquod damnum sibi inde oriri, lamententur, providè cautum sit, statuendo *II* servos nubentes ad servitia Dominis præstanda, omnimodè obligari; neque enim sine propria voluntate jure, sibi aliàs debito, privandi sunt. Verùm de hoc ultimo ampliùs §. *seq.*

27. Unde maledicta, & crudelitatem sapiens est ex Scoto, ùt *priori* §. *visum.* illa servitus, quam quidam invehunt, volentes servum nullam omninò sui corporis habere potestatem: proinde nec posse eam alteri tradere, quæ tamen traditio est de essentia contractûs matrimonialis. Quàmquàm verum sit, servum non habere illam liberam, & plenam corporis facultatem, quâ gaudet, qui est à servitu-

vitute liber, sícque talem facultatem, & potestatem conjugi secum contrahenti dare nequit, sed modicam tantùm, & multùm limitatam: si tamen illa (ait Scotus *cit.*) *velit esse contenta illa modica potestate, sive ad modicum usum* (vult autem hôc ipsô, quòd cum servo contrahat scienter *quem scit, eum posse dare, benè potest sibi ipsi præjudicare* (in non accipiendo amplo jure in corpus sponsi, quod acciperet præcisa conditione servili illius) *& tenet commutatio*, maximè cùm & illa, utpote pariter serva, seu ancilla, non nisi restrictam sui corporis potestatē sponso tradat.

28. Dixi autem N. 26. *Servum habere jus ad Sacramenta Ecclesiæ, statui servili compatibilia* &c. qualia sunt Baptismus, Eucharistia, Pœnitentia &c. Nam cùm Sacramentum Ordinis propter vilitatem personæ servilis eandem dedeceat: probrosum quippe foret, hominem, ob servitutem *vilipensum*, sacrîs Characteribûs insigniri: non sine ratione *c.* 5. *de serv. non ordin.* prohibetur servus sine Domini consensu ordinari.

29. Per omnia similis est decisioni Juris suprà *N.* 26. allatæ, declaratio Concilij Cabilonensis II. quæ refertur *c. dictum est* 8. *xxix. q.* 2. *Nobis visum est, ut*

con-

conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos Dominos (ancilla unum, servus alium) *habeant: sed in uno conjugio permanentes, Dominis serviant suis.* Nec obstat, quòd *C. admittuntur dist.* 54. Servi non admittantur ad Professionem religiosam, nisi cum consensu Domini, cùm tamen hæc favorabilior sit matrimonij vinculô. *Quia* enim, ùt ait Scotus *cit. locô, profitens in Religione totaliter se submittit obedientiæ Prælati illius Religionis, & in hoc ex toto subtrahit se à consvetis servitijs Domini sui:* meritò ad Professionem non assumitur sine voluntate Domini, ne hunc suo jure, quod in illius servitia obtinet, invitum fraudari contingat. *At non sic,* pergit idem, *contrahens matrimonium, sed solùm in aliquibus actibus* (se obligat suæ conjugi) *qui possunt stare cum hoc, quòd reddat servitia consueta Domino suo.*

30. Validum igitur est matrimoniũ servi cum ancilla, tum de jure, tum ex natura rei ob æqualitatem, quæ in hoc reperitur, quòd neuter contrahens fraudem, aut detrimentum patiatur, sed quilibet potestatem limitatam sui corporis alteri tradat, & talem in alterius corpus viciſſim recipiat. Si tamen servus hujus esset animi, quòd nollet aliquam habere in uxorem, quæ non sit libera

(nec

(nec enim desunt, qui in commutatione diteſcere cupiunt, plùs, quàm tradant, accipere volentes) ſi illa ſit ſerva, hôc ipsô matrimonium erit nullum, quòd omnis qualitas, conſequenter & ſervitus poſſit venire in conditionem hujus contractûs, ùt conſtat ex dictis *de Impedimento Erroris.*

31. Ultrà ſtatuitur *d. t. c. 4. Mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quòd miles* (aut quicunque alius) *ignoranter contraxit cum ancilla ita, quòd poſtquàm intellexit conditionem ipſius, nec factô, nec verbô conſenſerit in eandem, contrahendi cum alia liberam ipſi concedas auctoritate Apoſtolicæ facultatem.* En impedimentum dirimens inter ingenuum (ita appellatur liber) & ſervam, ſeu ancillam. Ad quod tamen,

32. *Requiritur 1.* ut Ingenuus ancillam, quacum contrahit, ignoret eſſe talem: ſiquidem *ſi ancillam eam ſciêrat, & collaudaverat* (volendo illam in uxorem) *prout legitimam eam habeat. Similiter & mulier ingenua de* (cum) *ſervo alterius facere debet. can. 6. cauſ. & q. cit.* Si enim ea ab ancilla habere non poterit, quæ poſſet â libera, ſibi imputet, quòd talem deſponſare voluerit.

33. *Sed* quæ ignorantia ſtatûs ſervilis ſponſæ ſufficit ad hoc impedimentũ?

Respondeo P Mastrium 4 *d.* 7. *n.*396. ex Sanch. judicare, quòd sufficiat etiam vincibilis; quàmvis enim hæc ignorantia, dum agitur de culpa vitanda, æquiparetur scientiæ, & ideo à peccato excusatur ille tantùm, qui id, quod facit, invincibiliter ignorat esse peccatum: dum tamen agitur de valore actûs, etiam invincibilis ignorantia locum habet. Potuit quidem, qui aliquam in uxorem elegit, inquirere, cujus illa conditionis sit (nec enim in matrimonijs cœcè festinandum est) quia tamen, omissa etiam hac exploratione, quam fors vehemens impedivit amor, actu credidit esse liberam, semper verum erit, illum in ancillam nullum habuisse consensum.

Nihilominus non nego, ignorantiam servitutis allegantem, haud aliquam in judicio mereri fidem, dum servitus personæ publica erat, quia, ùt notat Abbas, quæ vulgò nota sunt, sciri ab omnibus præsumuntur. Non nego item, contra matrimonium non posse agere illum, qui dubitans, an, quam ducere cupit, sit ancilla, non expectata ulteriori informatione actu illam ducit; cùm enim periculum, ne servam habeat in uxorem, nihil æstimare videatur, etiam servam illi gratam esse, convincitur.

34. *Re-*

34. *Requiritur II.* ut postquàm intellexerat, eam esse ancillam, *nec factô, nec verbô consenserit in eandem*, ùt textus dicit. Non verbô, id est, matrimonium non ratificando per novum consensum. Non factô, seu eam non ampliùs carnaliter cognoscendo: nam si cognita illius servitute, adhuc in matrimonio permaneat, aut si eam carnaliter cognoscat, *ut eam sicut uxorem maritali* (deinceps) *affectione pertractet*, compelli debet, rescripsit Alexander III. *c. 2. d. t.* Nec audiendus erit in judicio, si asserere voluerit, se non jure matrimonij, sed affectu tantùm fornicario carnaliter illi comixtum fuisse: hanc siquidem contra se allegans turpitudinem rejicitur in judicio externo, in quo nemo supponitur malus, aut fornicator, donec id non probetur.

§. III.

Proponuntur aliqua dubia.

35. *Quæres I.* An Patronus possit servis, qui se invito conjuges facti sunt, impedire usum matrimonij, servum e. g. ad unam, & ancillam ad aliam mittendo Regionem? *Respondet* Scotus *cit. cùm causa matrimonij sit favorabilis* (& usus illius conjugatis aliquando, etiam quoad conscientiam, multùm uti-

lis) *inducendi essent Domini* (utique ex lege charitatis) *ne hoc facerent: sed si facerent, non apparet, qualiter suppositâ servitute facerent contra justitiam; quia iste* (servus) *priùs fuit in potestate Domini, ut mitteret eum illuc, immò ut venderet* (si vendere, â fortiori mittere, quò libuerit) *eum: & similiter illa* (serva) *in potestate Domini sui, similiter quantum ad alium locum: & per actus proprios* (id est per contractum sine Domini voluntate matrimonium) *sine voluntate Dominorum non potuerunt se facere liberiores, nec se â jure Dominorum suorum magis eximere, quàm priùs: igitur adhuc licet Domino mittere, quò voluerit.*

36. *Quæres II.* Si uxore, debitum matrimonij petente, Dominus â marito servo exigat aliquod servitium, cui hic parere debet? *Respondet* P. Carolus Franciscus â Breno *in Manual. Missionar. c. 5. q. 48.* maritum favere debere uxori, postpositô pro illo casu servitiô Domini: sicut enim Dominus nequit impedire matrimonium *ex NN. 26. & seqq.* ita nec debitum reddendum, quod est effectus matrimonij, nam cui jus aliquod conceditur, etiam exercitium concedi censetur. Imò si id aliquando liceret Domino, liceret semper, sícque totum jus in usum matrimonij

monij corrueret. Accedit, quòd debitum reddere ad petitionem uxoris obligetur maritus ex jure naturæ, servire autem Domino ex Jure Gentium, ex quo servitus introducta est: cùm igitur fortiùs liget jus naturæ, debitum potiùs præstandum erit. Denique concurrere potest in uxore periculum majoris peccati, nisi vehementi ardori carnis per maritum satisfaciat, cui periculo omnimodè obviandum est. Et pro hac sententia citatur D. Thomas. D. Bonavent. & multi alij.

37. Verùm quia resolutio prioris quæsiti aliud suadet, & consequentia doctrinæ servari debet, per sequentes Assertiones respondeo.

Assero itaque *I.* nisi obsequia servi sint Domino pro illo tempore necessaria, aut multùm utilia, ex lege charitatis debere servum relinquere uxori, donec huic satisfaciat. *Nisi*, inquam, *obsequia servi sint Domino necessaria, aut multùm utilia*; hôc ipsô enim, quòd maritus sit servus, jus habet Dominus illô utendi, quo jure spoliari non debet in grave proprium detrimentum propter commodum alterius: nec ad id obligat charitas. *Nec urget*, servum esse fortiùs obligatum uxori, videlicet ex jure naturæ, quòd prævalet juri Gentium, ex quo tantùm obligatur ad

obſequia Domini. *Etenim* ſicut ſervus in contractu matrimonij non potuit ſe obligare ad uſum illius, niſi in quantum ſine damno Domini licuerit, aut ſine præjudicio: ita nec uxor accepit jus ad poſtulandum debitum, niſi ſub ſimili conditione; tantum enim accepit, quantum ille dare potuit: adeóque deficiente in illa jure petendi, maritus non obligatur ex jure naturæ ad reddendum debitũ, ſed potiùs ad ſerviendum Domino.

At uxor (ais) indubiè labetur in peccatum carnis, niſi per maritum ſatisfiat. *Reſpondeo*, omnia peccata liberè committi: ſi voluerit, peccabit, ſecùs, ſi noluerit: proinde maritô, in ſervitijs Domini occupatô, in uxoris arbitrio erit, aut labi in peccatum, aut ſtimulis, quibus agitatur, maſculè reſiſtendo, ſe ab omni labe præſervare. Quid faciunt Cœlibes, qui beneficiô matrimonij carent: homines ſunt, ùt alij, ſentiunt aliam legem in membris ſuis: habent & illi ſtimulum carnis, qui illos quandoque colaphizat, nec tamen omnes labuntur, ſed clamantes ad Dominum, confidunt in illud Paulo dictum: *Sufficit tibi gratia mea.* 2. *Corint.* 11. Immò multi etiam conjugati alijs negotijs inhærentes, proficiſcuntur in longinqua, & quis aſſecurat uxorem, domi

domi manentem, ab insolentia carnis? *In conjugio casus multi occurrunt, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa abstinere coguntur. c. quoniã. 6. ut lite non contestata.*

38. *Assero II.* Dominum (præcisa necessitate) à fortiori non posse sine læsione charitatis servum pro semper ita applicare servitijs, quòd numquàm tempus supersit utendi uxore. Patet ex hucusque dictis. *Nec opponas*, quòd dum Dominus potuerit servum ita applicare ante contractum matrimonium, si post illud non posset obstante præcepto charitatis, sine sua culpà, aut voluntate perderet aliquid de suo Jure in servũ, quòd non videtur admittendum. *Nam* nihil novi est, quòd quandoque aliquis ob varias circumstantias remittere ex charitate teneatur aliquid de suo jure, ùt constat de puella, quæ quidem jus habet prospiciendi per fenestram, â quo tamen jure desistere debet, etiam sine sua culpa, dum advertit, se â Juvene expectari sub fenestra, qui eidem insidiatur: & hoc, ne se ostendendo, occasionem præbeat internè lasciviendi. Charitas igitur respicit proximum, ad quem semper attendendum, ne per exercitium Juris, quod quis obtinet, illi detur occasio ruinæ, aut etiam impediatur ab aliquo magno bono.

39. *Assero III.* Quàm vis Patronus præceptô charitatis adstringatur, ne impediat servum â reddendo debito uxori, illud postulanti, & hoc conformiter ad *Assertionem primam:* si tamen impediat, non peccabit contra justitiam. Quia, ùt dictum *ibidem*, potest salvâ justitiâ Dominus mittere servum maritum, ad aliam etiam Regionem, eúmque ibidem detinere, quo casu debitum uxori reddere non poterit: ergo etiam potest illæsâ justitiâ impedire illum ab exsolvendo debito, dum id uxor anhelat. Immò ùt dictum *N.* 37. uxor non habet jus ad exigendum à marito debitum, dum eô Dominus uti voluerit.

40. *Assero denique IV.* directè ad quæsitum: servum debere ex justitia Domino potiùs parere, servitiũ imponenti, quàm uxori debitum urgenti. Hoc ipsô enim, quòd Dominus *ex priori Asserto* non peccet contra jus, dum tali casu servitium imponit, sícque habeat jus illud imponendi: necessariò infertur, in servo esse jus passivum præstandi illud obsequium, cùm jus activum, & passivum sint correlativa. Peccabit quidem Dominus contra charitatem *ex Assertione I. & II.* si id fecerit, quia facilè pro hoc casu potuit suum jus remittere, non jubendo servitiũ ul-

ullum: at non peccabit servus, si relicta uxore Domino paruerit, quia habuit parere necesse: *& imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat* (non reddat conjugi debitum) *quod per eum erat faciendum, R. 41. I. in 6.*

41. *Quæres III.* An idem dicendum, si Dominus consensit in matrimonium servi cum ancilla? *Respondet* Doctor Subtilis *loc. cit. Dominus concedens* (servo) *contrahere* (matrimonium) *relaxat implicitè illa servitia consueta* (nisi expressè contrarium excipiat) *Et si Dominus postea revocaret istam concessionem, utpote ipsum totaliter* (ergo aliquando non prohibetur id facere) *impediendo à copula carnali, vel mittendo eum in partes longinquas, vel detinendo eum in laboribus ita, quòd non posset aliquando visitare uxorem, peccaret mortaliter, & in manifestis* (en manifestum, & evidens hoc Scoto est!) *esset per Ecclesiam corrigendus*, si scilicet sit fidelis, & Ecclesiæ subditus.

42. *Quæres IV.* Sed quid? si dum Ingenuus ignoranter contraxit cum ancilla, & ita invalidè, detecta postmodum putatitiæ uxoris servitute, vellet nihilominùs in matrimonio permanere, illa autem separationem urgeret, deberétne cogi ad persistendum in matrimonio? *Re-*

ſpondeo, inculcandum illi præceptum charitatis, vi cujus ad vitanda ſcandala, ad magis providendum prolibus, & ad obviandum alijs inconvenientijs ad permanendum in matrimonio obligatur. Cogi item poteſt à Judice Eccleſiaſtico, & hoc in pœnam delicti, quia ſcilicet ſe liberam ſimulando decepit maritum, qui talem eſſe credidit. Si tamen ſcandalum in aliquo caſu ceſſaret, nec alia damna ex juſtitia reparanda eſſent, vel aliâ viâ, quàm ratificando matrimonium, reſarciri poſſent: nec præceptum Judicis urgeret, aut ſi urgeret quidem, ſed ab illa, licèt non abſque peccato, contemneretur, & proinde conſenſum renovare nollet, certum videtur, matrimonium, non obſtante renovatione conſenſûs à marito factâ, nullius eſſe roboris, cùm illud utriuſque requirat conſenſum.

43. *Quæres V.* Quo Jure conditio ſervitutis dirimat matrimoniū? *Reſpondeo* contra Pirhing, Schambog. & alios cum Scotiſtis *communiter*, illud dirimere de Jure naturæ, & non merè poſitivô Eccleſiaſticô. Ratio urgens eſt; quia nemo prudens, niſi id aliàs conſtet, cenſendus eſt, ſe ipſum in contractu oneroſo graviter damnificare velle, aut ſibi magnum inferre præjudicium; quis enim hoc ſuponet

ponet? jam verò matrimonium est contractus onerosus, & liber vi illius dat potestatem ad plenum, & illimitatum usum sui corporis, ad valdè autem restrictum accipit ab ancilla, immò fors ad nullum, si contingat eam à Domino suo continuis servitiis occupari, aut aliò mitti; nec nisi tàm modicum, & valdè dubium sui corporis usum illa promittere potest in contractu matrimonij hôc ipsô, quòd sciat, se ancillam esse, & ab arbitrio Domini pendere: adeoque cum tanta inæqualitate dati, & accepti, ex qua gravissimum Ingenuo accidit damnum, non est ullô modô censendus in hoc matrimonium consentire.

Et hoc est, quod Scotus *cit.* ait, impedire scilicet conditionem servilem eum, qui commutat potestatem sui corporis cum potestate in corpus uxoris, ne recipiat tantùm, *pro quanto intendit commutare.* Accedit, quòd nemo censeatur consentire, aut velle tale matrimonium, ex quo sua posteritas mancipatui subjiceretur, cùm potiùs quivis ad bonum suæ successionis aspirare soleat: Ex matrimonio autem, cum ancilla initô, non nisi mancipia nascuntur juxta dicenda *N.* 47. Constat igitur defectum consensûs in tali casu non oriri ex eo, ùt quidam

dam ſupponût, quòd ſervitus repugnet ſubſtantiæ matrimonij: hoc enim compatibile eſſe cum ſervitute negari nequit propter dicta *N.* 26. Sed quia in ipſa commutatione corporum, quæ principale eſt punctum hujus contractûs, valde notabilis intercedit inæqualitas, & liber, ſi ita loqui liceat, læditur infra dimidium.

44. Imò ſi attentiùs legantur ea, quæ AA. dicunt, evidens erit, illos idem ſentire, licèt in concluſione differant. Etenim Schambogen, ſi interrogetur, cur error circa ſervitutem dirimat matrimonium, non ſic error circa alias qualitates: reſpondet, agendo de ſervitute, hîs verbîs: *quia error conditionis ſervilis contingit propriè circa ea, quæ ſunt de matrimonij eſſentia, & ad illius ſubſtantiam pertinent, quod non fit in errore aliarum qualitatum.* Apertiùs loquitur Pirhing. *Tit. de conjug. ſervor. n.* 5. *vel enim contrahit quis cum ancilla, ignorans eſſe talem, ſed putans eſſe liberam, & tunc matrimonium non tenet*: ſed quare non tenet? *propter errorem*, ait, *qui conſenſum excludit. L. ſi per errorem* 15. *ff. de jurisdict. ubi dicitur: cùm non conſentiant, qui errant, quid enim tam contrarium eſt conſenſui, quàm error, qui imperitiam detegit?* Ampliùs ſe exprimit *in Notat.* 2. ponens differentiam inter ſervitutem,

tem, & alias qualitates, addítque: *etsi servitus per se substantiæ matrimonij non repugnet* (quòd ultrò fassus sum *N. præcedent*:) *obstat tamen ejus causæ, nempe libertati consensûs.* Nónne hoc idem est, quod nostra sententia propugnat? an autem hoc sit dirimere matrimonium Jure duntaxat Ecclesiastico, & non potiùs Jure naturæ? nemo non videt. Hoc posterius igitur tenendum est, & per consequens exinde inferendum, hoc impedimentum non tantùm fideles, sed ligare etiam Infideles, quorum consensus similiter necessarius est ad illorum matrimonia.

§. IV.

Resolvitur casus de Conditione Servitutis.

Orontius de præsenti sibi desponsavit Liberatam, sua conditione quidem ancillam, sed quam credidit fuisse Ingenuam. Post cursum unius anni Liberata manumittitur â Patrono, & libertate donatur. Orontius verò, quia sicut in principio ignoravit servitutem sponsæ, ita secutam dein manumissionem, continuat quidem Jura matrimonialia: verùm postquàm lapsô ab hac manumissione tempore aliquo venit in notitiam primævæ servitutis Liberatæ, unâ quoque in-

inſtructus erat de nullitate matrimonij, valori illius obſtante ſervitute; quærit, an uxorem ſuam dimittere poſſit?

45. *Reſpondeo* cum diſtinctionibus varijs hoc in caſu procedendum eſſe; etenim vel ſervitus Liberatæ erat oppidò nota, vel non? ſi ita: Orontio aſſerenti, ſe eam neſciſſe, in foro fori non credetur, ùt notatum *N.* 33. ſi non erat publicè nota, Orontio facilè credetur, quòd bona fide putaverit illam eſſe liberam, donec ab ea oſtenſum non fuerit, Orontium ſciviſſe ſervitutem, & ea non obſtante matrimonium attentâſſe: nam *ignorantia præſumitur, ubi ſcientia non probatur*, *R.* 47 *I. in* 6. Quantùm ad hoc igitur, matrimonium videretur nullum. Verùm quia in caſu dicitur, Orontium etiam poſt manumiſſionē Liberatæ maritali conſuetudine convixiſſe, interrogandus eſt, an id factum durante tantùm ignorantia ſervitutis: vel verò, an unicum ſaltem actum conjugalem exercuerit cognita jam ſervitute? ſi primum: pronuntiandum contra valorem matrimonij. Si ſecundum: per copulam, utpote quæ ſupponitur affectu maritali facta, *cenſeretur* ratificâſſe matrimonium priùs nullum per ea, quæ dicta ſunt *N.* 34.

Dixi: *cenſeretur*; non enim id abſolutè

lutè tenendum, ſed adhuc inquirendum, an copula fuerit habita, poſtquàm inſtructus etiam erat, ſervitutem Liberatæ fuiſſe impedimentum dirimens matrimonij: vel antecedenter tantùm? ſi primum; currit id, quod dictum eſt de revalidatione, ſeu ratificatione matrimonij. Si verò commixtus ille erat poſt cognitam quidem ſervitutem, ſed neſciens adhuc, eam valori matrimonij obſtare: poterit, non obſtante commixtione carnali, Liberatam dimittere: Ratio eſt; quia hanc commixtionem non practicavit, niſi ex errore, quô credidit, matrimonium eſſe firmum, licèt ſponſa fuerit ſerva: quapropter copula, ex hoc errore exercita, non poteſt habere vim impliciti conſenſûs, aut ratificationis matrimonij, cùm *nihil ſit tam contrarium conſenſui, quàm error. L. ſi per errorem* 15. *ff. de juris dict.* prout ampliùs docetur agendo de revalidatione matrimonij, ad quam videlicet requiri dicitur, ut revalidanti conſtet prior nullitas illius.

46. Duo adhuc obſervanda ſunt in hoc caſu. *I.* Orontium, quámvis, ſuppoſitîs juxta mox dicta ſupponendîs, poſſet recedere à Liberata ob nullitatem matrimonij; inducendum nihilominus eſſe ad ſanandum defectum, & vitium illius, con-

conformiter *ad cit. N.* 42 propter vitandum videlicet scandalum, bonum prolium, si quæ susceptæ sint, & bonum ipsius etiam uxoris, maximè cùm à vinculo, & duro jugo servitutis manumissa, plena fruatur libertate. *II.* Quòd si Orontius, nec quidquam faciente hac charitatis obligatione, se ex nullitate matrimonij liberare ab uxore velit, pariter eidem dotem, si quam habuit, in integrũ reddere tenetur, textu claro *cit. c. 2. de conjug. servor. si verò aliter fuerit, & sententiam divortij proferri contingat, mulieri pecuniam, quam præfato viro pro dote concessit, restitui faciatis.*

47 Pro coronide hujus materiæ *scisciteberis*, quale judicium de prolibus, ex ancilla genitis, formandum? súntne ingenuæ, vel servæ? *Respondeo* in aliquibus Provincijs consuetudinem obtinere, quòd proles sequantur conditionem Patris, non attenta servitute, aut libertate Matris, ùt legitur *d. t. c.* 3. Cœterùm præcisa hac consuetudine, de Jure communi, proles genita à Matre, in servitute constitutâ, servituti pariter subjicitur per *L. partum* 7. *C. de rei vindicat.* obtinétque hìc illud tritum: *partus sequitur ventrem.* Intellige, si Mater nec tempore conceptionis prolis, nec nativitatis, nec intermedio

medio libera fuerit: nam *sufficit Matrem liberam fuisse eo tempore, quò nascitur, licèt ancilla conceperit: & è contrario, si libera conceperit, & dein ancilla pariat, placuit eum, qui nascitur, liberum nasci:* ùt habetur *Inst: de Ingen. in prin.* quia enim *libertas res inæstimabilis est, L. libertas* 106. *de R. I.* ne prolem illâ privari contingat, Jura libertatem Matris pro quocunque tempore, quò proles suum esse accipit, aut habet, sufficere volunt.

VOTUM.

§. I.

Explicatio Voti.

48. VOtum est promissio DEO de meliori bono liberè facta: & quia Deus est amator bonorum, mox ac votum ab aliquo elicitur, illud acceptat, ex qua acceptatione vovens, qui erat liber in vovendo, fit debitor in reddendo. *De cætero reliqua universa* (aliunde non præcepta) *non profitentibus* (non voventibus) *quidem monita tantùm, seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata: cùm tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.* S. Bernardus *lib. de præcept. & dispens. c. 3.*

49. Tot sunt vota, quot actus virtutum aliunde imperati, sive sub consilio tantùm commendati: at in proposito illud tantùm consideratur, quod est castitas, nec omne, sed solemne duntaxat, quod consistit in Professione religiosa: *Præsentis declarandum duximus oraculô sanctionis* (ait Bonifacius VIII. *c. un. de voto in 6.*) *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis* (sed de hoc *infrà*, dum de impedimento *Ordinis*) *aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apostolicam approbatis.*

50. Est autem Professio religiosa *Promissio liberè facta, & legitimè acceptata, quâ quis, in debita ætate constitutus, post annum probationis se adstringit cuidam Religioni, ab Ecclesia approbatæ.* Ex qua descriptione constat. *I.* requiri: ut fiat liberè, & quidem, quia est opus summè arduum, plena libertate, ob quod non admittit vim, nec metum gravem, & injustum: per omnia dicenda de *Impedimento Vis*, seu *Metûs*: Imò error etiam, qui substantialis est, illi nocet. *II.* Requiri ætatem determinatam, quæ est annorum 16. completorum ex Tridentino *sess. 25. c. 15.* *III.*

III. Ut non fiat, niſi poſt expletum Probationis annum: *nec qui minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad Profeſſionem admittatur: profeſſio autem antea facta ſit nulla &c.* Trident. *l. c.* An autem annus iſte debeat eſſe de momento in momentū completus, non conveniunt Doctores: P. Reiffenſt. *l. 3. tit. 31. à n. 94. uſque n. 103.* defendit, affirmativam ſententiam eſſe in praxi omninò tenendam. Sed Caramuel *Theolog. Reg. n. 2230.* negat, rem practicam, & moralem debere tanto rigore ad Matheſin reduci: nullus enim docuit Abbates, & Monachos momenta numerare: & Tridentinum jubet quidem Novitios eſſe per annum probandos: at hunc annum de momento in momentum computari non jubet: Concordat Marchantius *Tribunal. Sacram. tom 3. tract. 3. tit. 1. q. 4. conclnſ. 2* ubi probat, non eſſe attendenda momenta Mathematica, aut Aſtrologica horarum, ſed ſufficere, ut quis die anniverſaria ſimpliciter profiteatur. Et ſi alicubi conſtitutiones contrariæ emanârunt, id non factum de neceſſitate, ſed ad præcludendas reclamationes doloſas, & impertinentes eorū, qui ſe ſectari fingerent Opinionem alter de horis, & momentis.

IV. Ut fiat in aliqua ex Religionibus, à S. Sede approbatis. *arg. c. cit. un. de voto in* 6. & *c. un. de Religios. Domib. in* 6. *V.* Denique debet adesse consensus illorum, vel illius, qui pollent authoritate admittendi ad professionem, *arg. c. ad Apostolicam sedem.* 16. *de Regul* Professio enim est contractus onerosus & professum, & religionem obligans *Noñe Regularis ipsa professio* (S. Bernardus *l. cit. c.* 4.) *quâ se junior subdit sponte Priori, æquè adligat Priorem? communis equidem pacti pari reor utrumque necessitate teneri, fierique duos per unius sponsionem alterutrum debitores: fidelis curæ unum, alterum humilis obedientiæ.* Facultas itaque profitendi à Superiore petenda est, cujus petitionis omissio facit quidem professionē invalidam: si tamen nomine Prælati, aut Superioris admissa erat, per facultatem, & consensum deinde accedentem suppletur defectus prior, & professio ex integro sanata, reparatur, & ad valoris firmitatem reducitur: dummodò ante ratificationem, & consensum, à Prælato deinde obtentum, professus interim mutando voluntatem à professione non resiliat. Pirhing *ad* 3. *Decret. tit.* 31. *n.* 136. Reiffenst. *ibid. n.* 170. per Jura, & rationes ab illis allatas. Quæ omnia currunt quoque

que de consensu Capituli, seu Conventûs, quando is ultra consensum Prælati requiritur.

51. Et hæc de solemni voto professionis adnotâsse sufficiat: qui plura scire desiderat, adeat Theologos, & Ecclesiastici Juris Consultos, copiosè hanc materiam pertractantes.

§. II.

Impedimentum Voti solemnis quantum ad matrimonium subsequens.

52. JAm olim Justinianus Imperator, perpendens gravitatem sceleris in eo, qui Virgines, DEO per votum sacratas, ad matrimonium solicitare attentaverit, sacrilegum hunc ausum morte expiandum duxit. *L. 5. C de Episcop. & Clericis. Si quis, non dicam, rapere, sed attentare tantùm, jungendi matrimonij causâ sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna puniatur.* Summi verò Pontifices non tantùm excomunicationis sententiam fulminant in hos sacrilegos, sed insuper Personas, solemni voto Deo dicatas, ad omne conjugium plenè inhabilitant, ùt constat ex *c. 3. qui Clerici, vel voventes*, ubi consultus Alexander III. *Respondemus* inquit, *quòd si quisquam, qui*

se Religioni devovit, & habitu susceptò professionem fecit, postquàm sibi aliquam copulaverit, est cogendus ab ea recedere &c. & Trid. *sess. 24. de Sacrament. Matrim. can. 9.* clarissimè: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel votô &c. anathema sit.* Cùm enim castitatem in professione solemni spondens, se, suúmque corpus Deo in holocaustum offerat, indignum esset, si illud per matrimonium conjugi ad usum concederet. Nec potest Deo firmiter adhærere, terrenis solicitudinibûs implicatus; nam qui uxore premitur, *cogitat, quæ sunt mundi: quomodo placeat uxori, & divisus est.* 1. *Cor.* 7.

53. Præter solemnem professionem, in qua tria, paupertatis videlicet, castitatis & obedientiæ solemnia vota emittuntur, etiam ea, licèt simplicia sint, emissa in Societate JEsu à Novitijs post biennium probationis, dirimunt, non quidem in perpetuum, sed ad tempus duntaxat: cùm enim *rationabili ex causa*, ùt loquitur Gregorius XIII. Bullâ: *quantò fructuosiùs*, annô 1582. datâ: *juxta constitutiones easdem* (Societatis) *à Præposito Gene-*

Generali dimitti, & à votis hujuſmodi liberari poſſint: certum eſt, ſic liberatos, niſi aliud obſtet, habiles iterum reddi ad matrimonium. Sed de his votis plura apud DD. *Societatis*. Dirimit item matrimonium ſimplex votum caſtitatis, quod emittere debet uxor, quæ poſt matrimonium conſummatum viro licentiam dat ſuſcipiendi ſacros Ordines, ùt multis *cit.* tradit Sanchez *l. 7. de matrim. diſp.* 40. per totam. Ob quod nequit illa, etiam poſt mortem viri ad Ordines promoti, alteri nubere, prout ſtatuitur *c. quia ſunt* 10. *diſt.* 28. ibi. *Si in conjugio Diaconi mulierem, de qua agitur, fuiſſe conſtiterit - - - - ij, qui malè ſociati ſunt, disjungantur.* & *can. ſeriatim, diſt.* 32. Quia tamen in his locis vis dirimendi matrimonium, poſt mortem viri ineundum, non attribuitur voto, cujus nec fit mentio: ob quod etiam uxor, quæ licentiam dedit marito ad Ordines aſcendendi, licèt illa continentiam non voverit, inhabilis fit ad aliud matrimonium poſt mortem viri, ùt docet Sanchez *l. c.* cenſeo, eam inhabilitatem non provenire â voto uxoris, quod ſimplex eſt, ſed potiùs uxori interdictum eſſe ab Eccleſia ſub nullitate aliud conjugium, ſive voverit continentiam, ſive non.

Porrò ex hoc non licet inferre, idem

sentiendum esse de uxore, quæ post consummatum matrimonium facultatem præbuit viro ad professionem Religiosam: quàmvis enim teneatur castitatem vovere ex *c. cùm sit, de convers: conjug.* & *c. ad Apostolicam Sedem, eôd.* cùm tamen nullibi in Jure irritetur matrimonium, quod post mortem mariti attentaret, tenendũ est, illud fore quidem validum, sed illicitum, utpote impediente simplici voto contractum.

54. *Quæres I.* Estne impedimentum dirimens professio, dum eam esse nullam contingit, aut ob defectum consensûs, aut ætatis debitæ, nec hic defectus probari potest? Caramuel in *Theolog. Regul. tom. 2. n.* 1541. hanc ponit assertionem numerô octavam. *Religiosus, qui evidenter scit, se invalidè fuisse professum, id tamen plenè probare non potest, si uxorem ducat, matrimonium invalidum erit, & nullum*, & hæc assertio, si nullitas Professionis proveniat ex defectu consensûs purè interni, est illi manifesta: si verò ex defectu externo, occultô tamen, videtur eidem, esse statuta ab Ecclesia. Hoc ut demonstret, recurrit ad fundamentum ex *L Barbarius 3. de officio Prætor.* quòd nimirum error communis ob bonum publicum Jus tribuat; contingere namque po-

test;

teſt, illum, qui publicè creditur ſuperior, aut Judex, ob latens aliquod impedimentum talem à parte rei non eſſe, ſicque omni authoritate deſtitui: ne autem cauſæ, jam ſemel coram illo terminatæ, ad tribunal iterum revocentur, præmia, benè meritis ab illo collocata, excidant, & pœnæ reſtitutioni, aut refuſioni ſubjaceant: prudentiſſimè ſtatutum eſt, omnia à tali Judice acta eſſe valida, utpote cùm Jus, & poteſtatem, quam à parte rei non habet, ob bonum publicum, ſtante tali errore communi, ab Imperatoribus accipiat, in quantum illi defectum ſupplere voluerunt.

55. Præmiſsô hôc fundamentô ſumit Caramuel. *I.* dictum exemplum Judicis, qui quàmvis à parte rei non ſit talis, quia tamen creditur eſſe, ſtatuente id Jure, omnia, quæ agit, valida ſunt, ſicut acta veri Judicis: ex quo infert, quòd eſtò Petrus ob defectum conſensûs purè interni à parte rei non ſit profeſſus; quia tamen creditur communiter ùt talis, ſe etiam ùt verum profeſſum gerere debet: quemadmodum igitur verè profeſſus ducere uxorem non valet, ita nec Petrus.

56. *II.* Urget idem exemplum de Judice, qui ob latam in eum excommunicationis ſententiam, ſed quæ à parte rei

injusta est, tenetur se gerere ùt communicatum, nec actus Judiciales validè exercere potest, id est, non punire, non præmiare, non jubere &c. quia videlicet communiter creditur, quòd sit justè excommunicatus: pari igitur ratione, qui supponitur esse verè professus, quàmvis coram Deo non sit, validè ducere uxorem nequit.

57. *III.* Qui contra invalidam professionem intra quinquennium non opponit, postmodum non auditur ampliùs: *non audiatur*, prohibet Tridentinum *sess. 25. de Regul. c. 19. nisi intra quinquennium tantùm â die professionis*: sed habeatur tanquàm verè professus, omnibùs illîs privilegiîs fruatur, quibus alij professi; & inde est, quòd possit ad titulum paupertatis initiari Sacris Ordinibus, promoveri ad Prælaturas, habere vocem in Capitulo &c. ùt *omnes DD.* sentiunt: si igitur similia illi valida sunt ex eo, quòd credatur esse verè professus; eadem ratione invalida illi erunt, quæ talia sunt respectu aliorum Religiosorum verè professorum, utì sunt contractus matrimonialis, emptionis, venditionis &c. obstantibùs votîs castitatis, & paupertatis.

58. Cùm verò hæc fundamenta applicari valeant matrimonio, quod quis fictè

tè contraheret cum aliqua; nam & talis crederetur cum consensu contraxisse, & matrimonium in facie Ecclesiæ reputaretur validum, licèt â parte rei, & coram Deo foret nullum. Caramuel *ibidem* consequenter resolvit, hoc matrimonium esse impedimentũ dirimens respectu alterius, quod relicta priore conjuge contraheretur cum alia: unde ita contrahens ab Ecclesia cogeretur redire ad primam, & juberetur illi convivere; & quia illã tangere non auderet, cùm illius maritus â parte rei non esset, teneretur consensum, qui defuit, de novo elicere, quô factô licentia matrimoniali uti posset.

59. Verùm ab opposita sententia, quæ in DD. tùm de professione Religiosa, tùm de matrimonio tractantibûs, passim reperitur, non recedens, sequentia ratiocinia subjungo.

I. Nulla authoritas humana, nullæ etiam Leges efficere possunt, ut quis nolens vota in professione verô, & sincerô animô elicere, ijs in conscientia obstrictus maneat, ùt *omnes* fatentur, quia nimirum voluntas, & consensus est ex natura rei ad votum necessarius. Si igitur votum, in professione sine consensu interno emissum, dirimeret matrimonium sequens, cùm hæc vis dirimendi illi, utpo-

te

te in se nullo, ex se non insit, deberet necessariò provenire ex decreto Ecclesiæ, quæ tamen nunquam id statuit, quia nec in Jure, nec in aliquo Concilio expressum legitur. Jubet quidem Ecclesia, ut is, qui asserit se sine debito consensu professum fuisse, & in hac nullitate professionis se fundans, uxorem duxit, ad monasterium retrudatur, ibíque tamquã professus regularem agat vitam, nisi statuto tempore defectum consensûs legitimè probet: sed quia nunquam declaravit, se etiam illam professionem pro impedimento dirimente habere, quæ ex defectu consensûs, aut aliô occultô obstaculô nulla est à parte rei (*quæ tamen declaratio necessaria esse videtur*) manifestum est, illam retrusionem ad Monasterium juberi ex suppositione tantùm, quòd in professione consensus non defuerit. Et hujusmodi suppositio fundatur in illa *Reg.* 45. *I. in* 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: plerúmque autem contingit, & verisimilius est, quòd, qui professionem juxta normam Religionis in manibus Prælati emittit, verum animum profitendi habeat: adeoque meritò concludit, illum esse legitimè & à parte rei professum, cùm verisimilia quasi pro veritate habeantur *arg. L. cum quid*

quid 3. *ff. de rebus creditis, si certum petatur*, nisi contrarium constet.

60. Dixi: *quæ tamen declaratio necessaria esse videtur.* Si namque de impedimẽto publicæ honestatis (ut patebit *suô locô*) Ecclesia non simpliciter statuit, illud oriri ex matrimonio rato, sed, ne quis id intelligat de valido tantùm, cùm tamen illa invalidum quoque intellexerit, modò non fuerit invalidum defectu consensûs: expressè insuper declaravit, hanc suam esse mentem. Utique etiam declarâsset, aut statuisset aliquando, professionem, quantùmvis invalidam, impedimentum matrimonij dirimens inducere, ne scilicet aliquis recurrat ad *Reg.* 52. *I. in* 6. *Non præstat impedimentum, quod de Jure non fortitur effectum.* Cùm itaque tale quid factum non legatur, signum evidens est, Ecclesiam id numquàm intendisse.

61. II. Idem censeo de lege Tridentini *N.* 56. allatâ, quòd videlicet fundetur in præsumptione, quatenùs rationabiliter præsumitur eum, qui tanto tempore siluit, & pacificè in monasterio permansit aut validè professum esse, aut interea temporis professionem, si invalida fuit, saltem ratificâsse. Concilium etenim numquam dixit, taliter professum, nisi statuto tempore non reclamet, effici verũ

Re-

Religioſum, eúmque ad materiam votorum æquè, ac verum profeſſum obligari: ſed tantùm: *Non audiatur: nullatenùs ad allegandam quamcumque cauſam admittatur*, quæ præcepta potiùs tangunt Superiorem, qui, debito tempore reclamare negligentem, ampliùs audire prohibetur, & ob id quoque eatenùs concernunt reclamare negligentem, quatenùs impeditur ab omni actione contra profeſſionem: ubi enim aget, aut reclamabit, dum nemo Superiorum audientiam præſtare audet? Porrò non eſt inſolitum, Leges illas, quæ actionem tantùm inhibent, non obligare in conſcientia, ſed forum, & Judicium externum duntaxat reſpicere, in quo actiones formari ſolent. Vide latè *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 31.* ubi etiam probat, quòd, cùm vita Regularis ſit opus nimis arduum, & difficile, quaſi diſſonum æquitati naturali videtur, nolentem ad id genus vitæ in conſcientia adſtringere. Ex quo optimè concluditur, Legem Tridentini de non audiendo, indebito tempore reclamare volente, ſed in monaſterio detinendo, fundari in præſumptione aut validæ, aut ſaltem ratificatæ profeſſionis, quales leges multæ reperiuntur in utroque jure, & aliquæ ex hoc tractatu patebunt.

62. III. Verum eſt, non tantùm Legibûs Imperatoriis, ſed etiam Eccleſiaſticis bono communi in caſu, quô error communis intercedit, proviſum eſſe: Unde Parochus, Epiſcopus &c. dum communiter creduntur (præſcindo autem ab illa difficultate: an requiratur titulus coloratus) tales eſſe: poſſunt validè exercere ea, quæ ſunt Jurisdictionis, ùt Parochus aſſiſtere matrimonio, Epiſcopus dare facultatem abſolvendi &c. Immò ea quoque, quæ ſunt Ordinis, ſi illi ſunt à parte rei tales, ſed ab exercitio poteſtatis ex occulto aliquo Canonicô impedimentô prohibentur: v. g. Epiſcopus occultè excommunicatus, niſi ſe continere ſine ſcandalo valeat, aut ſui diffamatione, poteſt conferre Ordines. In Sacramento quoque Pœnitentiæ ſuffragatur error communis? quia, ùt multi *Theologorum* turè docent, validè illud adminiſtrat, qui æſtimatur comuniter approbatus ab Epiſcopo, licèt non ſit. Quapropter in propoſito quoque ille, qui fictè tantùm profeſſus eſt propter errorem, quô creditur verè, & realiter profeſſus, validè, & licitè etiam, dum abſtinere nequit, dabit vota in electionibus, acceptabit Prælaturam, & ùt Prælatus validè jubebit, delegabit confeſſarios &c. ùt notant Canoniſtæ

nistæ *ad* 3. *Decretal. tit.* 31. & Sanchez *cit.* Quemadmodum autem is, qui à parte rei non est Episcopus aut Judex, sed æstimatur talis, tenetur aut procurare, ut talis legitima institutione fiat, aut ab se abdicare illud officium, quàm primum commodè poterit sine sui infamia: pari ratione, qui ob defectũ aliquẽ occultum non est coram Deo professus in conscientia obligatus manet, aut facere professionem validam, ratificando v. g. nulliter emissam, vel quærendo dispensationem, si ex aliquo defectu, aliàs non amovibili, nulla erat: aut mox dum sine scãdalo, suíque diffamatione locus erit, se liberare à Monasterio, quòd fiet fugiendo, hócque secundum dum fecerit, liber erit, & expeditus ad uxorem ducendam.

63. IV. Similiter admitto Judicem, etiam à parte rei injustè excommunicatum, sed qui creditur esse justè talis, non posse actus judiciales exercere: quia tamen sententia excommunicationis in eum fulminata fundatur in præsumptione, quòd sit reus, & illa valida, hæc autem præsumptio sit falsa, non illum ligat in foro interno, & conscientiæ, nec subjacet effectibus excommunicationis coram Deo, id est non privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, aliisque commodi-

moditatibûs ſpiritualibûs, ùt notat poſt alios *â ſe citatos* Reiffenſt. 5. *lib. tit.* 39. *n.* 41. Ex quo infert, quòd Clericus ita excommunicatus non incurrat irregularitatem in foro conſcientiæ, ſi exerceat actum ſui Ordinis v. g. Miſſam celebrando. Quare nec profeſſus noſter poterit ducere uxorem, ſi tamen duxerit, & omnia *reliqua* ad matrimonium requiſita concurrerint, validum illud erit à parte rei, & in foro animæ, cùm invalidatum eſſe nullibi legatur: ſicut etiam haud obſtante voto paupertatis â parte rei Dominus manet ſuarum rerum, validéque aget contractus emptionis, venditionis &c. dum ſcandalum eos non impediverit. De cæteris Actibus in particulari exactè Sanchez *l.* 7. *de matrim. diſp.* 37

64. Hæc in ſubſtantia ſufficiant ad commendandam cõmunem ſententiam, cujus fundamenta ampliùs roborantur ex dicendis *NN.* 144. *&* 150. quatenùs videlicet conſtabit, matrimonium â parte rei nullum, & promiſſionem quoque talẽ non habere vim caulandi impedimentum Criminis. Reliqua, quæ directè concernunt invalidam profeſſionem, petere poteſ ex Juris Canonici Peritis, qui de ea ſcribunt ex profeſſo. Cæterùm omittendum non duxi, in praxi etiam Caramuel

præplacuisse cõmunem hanc sententiam. Etenim interrogatus, quid agendum cum Adolescente A. qui se ob varias rationes nulliter professum asserit: positô suô sentimine de professione illius, tandem *l. c. n.* 3576. allegat sententiam Sanchezij *cit. n.* 39. & aliorum, quæ vult nulliter professum posse in Religione expectare occasionem sine scandalo fugiendi; & conformiter ad eam *n.* 3583. concludit, quòd sciens nullitatem suæ professionis securè fugiat, dum potest absque scandalo, quod tamen admittendum nequaquàm esset stante sententiâ, & fundamentîs *suprà â N.* 54. productîs. Denique n. 3572. *hæc formalia habet: sic feci annô* 1652. *in causa cujusdam Carmelitæ Pragensis, qui postquàm multîs annis in Religione quietè vixerat, Prior, & Magister Novitiorum fuerat, occœpit jugum fastidire, & se non esse validè professum clamare: quem ad Tribunal nolui admittere, quamdiu Rescriptum Apostolicum non impetravit.* Ex quo facto constat, permansionem quinquennalem in Claustro non esse ipsâ ratificationem, aliàs Carmelita ille frustra Sedem Apostolicam pulsâsset, ut Rescriptum obtineat, vi cujus contra Professionem audiretur; sed si â jugo Religionis liberari voluit, non nisi ad dispensatio-

ſationem confugere debuit: imò potiùs in Religione permanere, cùm diſpenſatio iſta non niſi graviſſimis de cauſis concedi ſoleat.

§ III.

Impedimentum dirimens Voti Solennis quoad matrimonium antecedens.

65. ALexandrum III. Salernitano Archi Epiſcopo reſcripſiſſe *c. verum 2. de converſione conjugat:* legitur: *Poſt conſenſum legitimum de præſenti licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere Monaſterium: ſicut Sancti quidam de Nuptijs vocati fuerunt: dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſervare noluerit) licitum eſt ad ſecunda vota tranſire: quia cùm non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad DEum tranſire, & alter in ſæculo remanere.* Idem reſcripſit Epiſcopo Brixienſi *c. 7. eôdem:* & Innocentius III. Archi-Epiſcopo Lugdunenſi, habetúrque *c. 14. eôdem:* Unde Concilium Trid. *ſeſſ. 24. de reformat. matrim. can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, propter ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit.* Ex quibus.

66. *Deduco I.* Matrimoniô necdum consummatô, posse conjugem Religionē aliquam ex approbatis ab Ecclesia ingredi, in eáque solemniter profiteri: *II.* Nec adhoc requiri consensum alterius conjugis, qui tamen *III.* expectare tenetur, donec ingressus Religionem, in ea profiteatur; non enim per simplicem ingressum, sed professionem duntaxat vinculū matrimonij dissolvitur *IV.* Remanentem in sæculo posse, si continentia non placuerit, ad alias Nuptias appellare: sicut *V.* & professum aliam deinde uxorem ducere, si aliquando dispensationem à votis professionis obtinuerit. *VI.* Evidens igitur est, in contractu matrimoniali vi dispositionis Juris includi hanc tacitam conditionem: *ùt conjugem te habebo, nisi per vota Religionis aliam elegero vitam.* Et hæc sunt quidem indubitata, ex illis tamen suboriuntur dubia sequentia.

67. *Dubitatio I.* Utrùm censeatur matrimonium consummatum ex eo, quòd conjux ante illud cognoverit conjugem? seu an priùs possit esse matrimonium consummatum, quàm ratum. *Respond. negativè:* quia prior copula est fornicaria tantùm, nec potest vinculum matrimonij, quod nondum erat, per copulam firmari & indissolubile reddi. Ubi tamen P. Ei-

bel

bel *de matrim. n.* 371. benè advertit, illũ non esse admittendum ad Religionem, qui ante matrimoniũ imprægnavit uxorem suam, si exinde grave damnum pateretur, quod aliâ viâ resarciri non posset, nisi illam, ùt uxorem retinendo: aut si exinde infamia, vel macula Religioni imineret: urgent enim motiva restitutionis ex damno dato, & obligationis ad non inferendum damnum alteri.

68. *II.* An matrimonium sit consummatum, dum maritus tantùm seminat uxorem cognoscendo, non illa? *Respond.* quia in *cit. c. verum* 2. habetur, maritum posse relicta uxore religiosum fieri, cùm non *fuissent una caro simul effecti*; sequitur, per illam tantùm copulam consummari matrimonium, quâ conjuges fiunt una caro: cùm igitur ex *infrà de Impedimento Affinitatis N.* 286. dicendis ad hoc requiritur & fœminei, & virilis seminis comixtio, & utrumque sit necessarium ad generationem: hìc consequenter dico, fœminâ non seminante, matrimonium non consumari, & utrumque liberum manere ad ingressum Religionis. Fateor quidem, in foro externo, Judiciô desuper motô, si constiterit, fœminam esse â viro cognitam, non debere credi asserenti, se non seminâsse, quia vehemens

est præsumptio in contrarium, nec tam facilè persuaderi potest, fœminam non seminâsse, cujus vas ex penetratione viri seminantis ad idem irritatum est. Accedit hoc testimonium fœminarum firmũ non esse eô, quòd sæpissimè se seminare nesciant, immò quid hoc sit, ignorent, ùt in tribunali confessionis expertus didici. Nihilominus in foro interno, si post talem copulam imperfectam unus conjugum fuisset professus, posset Confessarius alterum, in sæculo remanentem, ad alias nuptias remittere, ùt ex Clericato *de matrim. decis.* 7. *n.* 12. advertit Elbel *l. c. n.* 379. qui tamen monet, ante factum conjuges esse potiùs hortandos, ut in matrimonio permaneant. Suaderem & ego propter dubium, an fœmina reverà non seminaverit, sed si id constaret, non cogerem.

69. *III.* Estne matrimonium consummatum per copulam vi, aut metu à conjuge exortam? *Respondet* P. Reifenst. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 7. *negativè*, pro eo tempore, quô conjux necdum tenetur reddere debitum, ob eam rationem, quòd matrimonium consummatum repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, *c. debitum. de Bigam*: quæ est voluntaria, sícque etiam consummatio matrimonij volun-

ſuntaria eſſe debet, ut ſit ſignum illius unionis & æquè, àc illa, reddatur indiſſolubile. Aſt Sanchez *de matrim. l. 2. Diſputat. 22. n. 4.* cum multis ibi *cit.* docet, tanquàm certum eſſe tenendum, tali copulâ conſummari matrimonium: ex eo namque, quòd per illam conjuges fiant una caro, matrimonium incipit repræſentare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia quoad ſubſtantiã, licèt non quoad modum, cùm hæc ſit voluntaria. Et ſi copula per vim extorta ſufficit ad Affinitatem, *c. Diſcretionem, de eo, qui cognovit conſang.* ſufficiet quoque ad conſumationem conjugij, quia per eam fiunt una caro *arg. c. cit. verum 2. de converſ. conjug.* Addit tamen *n.* 6. probabiliùs eſſe, liberam manere conjugem violenter cognitam ad ingreſſum Religionis, cùm nemo ſine culpa debeat ſuo Jure privari *cit. c. diſcretionem:* præſertim ob injuriam, & injuſtitiam ab altero ſibi illatam, ne injuſtè agens ex ſua iniquitate commodum reportare videatur, efficiendo per vim, ut conjux ab ingreſſu impedita, apud ſe remaneat.

Qui ſententiæ P. Reiffenſt. ſubſcribere voluerit, debet conſequenter dicere, maritum vi, aut gravi metu extorquentem copulam ab uxore, hôc ipsô, quòd

per eam matrimonium non censeatur esse consummatum, posse ad Religionem transvolare. Sed si matrimonium dicatur cum Sanchez, esse consummatum, ùt mihi probabiliùs est, vir invita uxore ad professionem admitti non poterit, dum enim ingressus conceditur uxori vim passæ, ne per injuriam suô beneficiô destituatur, id non juvat maritum, qui, quantum est ex sua parte, liberè consummavit matrimonium; & obinde vinculô indissolubili ligatur, nec poterit ad alias nuptias aspirare, etsi uxor in Religione profiteatur.

70. Dixi *suprà* in Responsione: *pro eo tempore, quô conjux necdum tenetur reddere debitum*; nam *c. ex publico 7. de convers. conjugat.* conceditur utrique conjugum privilegium, vi cujus neuter obligatur alteri petenti reddere debitum intra spatium duorum mensium: Unde si intra hoc tempus vir opprimat fœminam, aut per gravem metum extorqueat copulam, gravem committit injustitiam, & peccat mortaliter juxta Sanchez *cit. n.* 15. quia, cùm beneficium ingrediendi Religionem reddat dubium (fors enim Judex oppositam sententiam secutus, illam ob matrimonium consummatum â marito separari non admittet) graviter eam læ-

dit

dit. Porrò quomodo hoc bimeſtre intelligendum ſit, vide Canoniſtas *ad* 3. *Decret. tit.* 32. & Theologos.

71. *IV.* Eſtne fides à Judice adhibenda, dum uterque conjugum aſſerit, ſe matrimonium necdum conſummâſſe? *Reſpondeo.* Si ſponſa fuerit Virgo: adhiberi poterit inſpectio, an adhuc talis ſit, & prout reperietur, ita judicabitur. Sed de hac inſpectione vide aliqua *infrà de Impedimento Impotentiæ.* Si autem tempore initi matrimonij non fuerit Virgo, ſed Vidua, aut aliàs antecedenter corrupta (tunc enim medium inſpectionis locum habere nequit) ſimul quoque ad domũ mariti introducta, non eſt fides adhibenda, etiamſi uterque juret, quia etiam juratis conjugibus in præjudicium matrimonij non creditur *arg. c. ſuper eo. De eo, qui cognovit conſang.* Aliud dicendum, ſi ad domum mariti nondum fuit introducta; cùm enim tam vehemens præſumptio non urgeat ad credendam conſummationem matrimonij, eô quòd non cohabitârint, videtur accedente Juramento fides illis danda. Sanchez *l.* 2. *de matrim. diſp* 23.

§. IV.

Origo hujus Impedimenti.

72. *Quæres I.* Quo Jue votum ſoleñe dirimat matrimonium ſubſequens? *Reſpondet* Scotus 4. *diſt.* 38. *q. un.* Jure Eccleſiaſtico: ait enim: *quòd Eccleſia illegitimavit ſic voventem: & hoc fuit rationabile, quia ipſe poſuit ſe in poteſtate Eccleſiæ, quantum ad oppoſitum ejus, ad quod eſt contractus matrimonij)* ad ſervandam videlicet continentiam) *voventẽ autem privatè* (non ſolemniter) *non illegitimavit, quia non ſic ſe poſuit in ejus poteſtate. ſed quia poſuit ſe in manu Dei ad oppoſitũ ſervandum &c. Eccleſia reliquit eum Judicio Divino*: hoc eſt, qui ſolemniter in Religione, ab Eccleſia approbatâ, profitetur, ſe ſpecialiter ſubdit illius poteſtati, & non is, qui privatim, & ſimpliciter vovit caſti tatem: hinc Eccleſia, ſpecialem curam prioris gerens, illum ad matrimonium nhabilitavit, ut ita omnem viam violandi votum præcludat: alterum autem, qui ſe illi hac ſpecialitate non ſubdidit, committit Deo, cui, ſi votum violat, rationem reddere tenetur.

73. Scotum in hac ſententia ſequuntur non ſolùm Scotiſtæ univerſim, ſed plures alij etiam, eámque ex Jure clare

rè deducunt. Etenim votum Solenne non dirimit matrimonium, quà votum eſt, cùm ſit ejuſdem obligationis cum voto ſimplici: *à Fraternitate tua requiſiti arbitramur, quòd ſimplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm ſolenne*, ait Cœleſtinus III. & refertur *c. rurſus 6. qui Clerici, vel voventes.* Nequit igitur habere vim dirimendi matrimoniũ, niſi in quantùm ſolemne eſt: Jam autem cum ipſa ſolemnitas voti proveniat totaliter ab Eccleſia juxta *c. un. de voto. in* 6. ubi Bonifacius VIII. declarat: *Nos igitur attendentes, quòd voti ſolennitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*: manifeſtè ſequitur, non niſi ad Jus Eccleſiaſticum refundendum eſſe, quòd votum ſolenne dirimat matrimonium.

74. Quapropter nequaquàm attendendi ſunt, qui docent, per votum ſimplex promitti tantùm, & per ſolemne actu tradi corpus Dei dominio in ordine ad ſervandam continentiam; atque ideo, cùm res tradita in unius dominium, nequeat ampliùs validè dari alteri; ex natura ipſius voti ſolemnis provenit, quòd corpus Deo traditum, non poſſit per matrimonium dari conjugi. Etenim quia *non minùs* (ùt ait Scotus *cit.*) *transfert aliquis à ſe, quod immediatè dat Deo* (prout

contingit in voto ſimplici) *quàm quod dat illi mediante homine Vicario*, ſeu illo, qui profeſſionem nomine Dei, & Religionis acceptat, non apparet, quomodo corpus magis conſtitueretur in dominio Dei per votum ſolenne, quàm per ſimplex. Accedit, quòd Deus, qui eſt Dominus omnium, fortius dominium corporis non acquirat per votum ſolenne, quàm antea habuerit; quemadmodum igitur ante votum potuit aliquis corpus ſuum tradere alteri per matrimonium, & quidem abſque læſione Divini dominij: ita etiam poterit poſt votum ſolenne, quantũ eſt ex natura voti. Unde fit, quòd violando tale votum non fiat injuſtitia DEo ſpecialis, ſed peccetur contra virtutem Religionis tantùm. Vide ampliùs Maſtrium *lib.* 4. *diſp.* 7. *n.* 436 *& ſeqq.* Caramuelem *Tom.* 2. *Theolog. Regul. n.* 2184. qui ſententiam Scoti forti Dialecticâ methodô roborat.

75. Ex his ſequitur, Papam poſſe diſpenſare in voto ſolemni, nec id negat Innocentius III. dicens: *Nec æſtimet Abbas, quòd ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licen-*

licentiam indulgere. c. cùm ad Monaſterium. 6. de ſtatu Monachor. Siquidem in eo ſenſu negat ſummo Pontifici facultatem diſpenſandi, in quo eam Abbas (qui in *cit. c.* ſui muneris admonetur) arrogare ſibi poſſet, id eſt, ut Monachus, manens talis, habeat proprium, & ducendo uxorẽ non ſervet Virginitatem: ſícque ſenſus argumentationis Innocentianæ eſt. Votum caſtitatis eſt eſſentiale ſtatui Monachali, ob quod nec ſumus Pontifex valet efficere, ut aliquis maneat Monachus, ſícque ſimul diſpenſatus â voto: â fortiori igitur Abbas nullam ad id habet poteſtatem. Ad cum hoc ſtat, quòd poſſit Papa, diſpenſando in voto liberare aliquem â Monachatu, ſeu de Monacho facere non Monachum; cùm enim poteſtas Papalis ſe extendat ad votum ſimplex, ùt *Omnes* concedunt, non quidem, ut maneat votum, vovens autem ſit deobligatus ab eo: pari ratione idem dicendum de voto ſolemni eô, quòd ſolennitas ſit opus Eccleſiæ duntaxat ex *N.* 73. Quocirca gratis ſe fundat oppoſita ſententia in eo, quòd votum ſolenne obliget ex Jure Divino, quod tranſcendit Papalẽ Authoritatem. Hoc ſiquidem admitto, ſicut de voto ſimplici, & Juramento: ſed ſi iſta duo ſubjacent poteſtati Eccleſiaſti-

cæ,

cæ, inquantùm ea aufferre poteſt: ſubjacere pariter dico votum ſolenne absque eo, quòd diſpenſatio Juris Divini obligationem tangat, quæ de ſe ceſſat ſublatô per Eccleſiam votô.

Porrò exempla hujuſmodi diſpenſationis ex facto Alexandri III. qui teſte Surio diſpenſavit cum Nicolao Juſtiniano Monacho: Cœleſtini, qui diſpenſavit cum Conſtantia Sanctimoniali filia Rogerij Siciliæ Regis, ut Henrico VI. Regi nuberet &c. ex alijs refert Maſtrius *l. c. n.* 511. ubi etiam reijcit ea, quæ ad ſimilia exempla AA. reſpondent. & *n.* 200. adducit quoque reſponſionem Sylveſtri multùm ſilveſtrem, quam *ibidem* vide.

76. *Quæres II.* Quo Jure votum ſolenne diſſolvat ratum matrimonium antecedens? *Reſpondet* Doctor Subtilis 4. *d.* 31. *q. un.* ſequentibûs verbîs: *Chriſtus, qui iſtam indiſſolubilitatem induxit* (Matrimonio) *Matth.* 19. *reprobans pro lege ſua repudium Moſaicum, ipſe relaxavit iſtam indiſſolubilitatem, quando alter conjugum convertitur ad Religionem: Unde Eccleſia numquam attentâſſet poſt matrimonia rata, non conſummata, licentiare alterum ad Religionem, altero manente in ſæculo, niſi Chriſtus hoc inſtituiſſet. Habetur autem hoc ex facto Chriſti vocantis*

Joan-

Joannem Apoſtolum, & Evangeliſtam ad Apoſtolatum à nuptijs. Jo. 2. cujus exemplum imitati ſunt Sancti Patres &c. Et hoc ultimum eſt conforme. *N. 65. cit. c. 2. de converſ. conjugat.* ibi: *Sicut Sancti quidam de nuptijs vocati fuerunt.* Eccleſia itaque Authoritate, à Chriſto acceptâ, declaravit, diſſolvi per profeſſionem Religioſam vinculum matrimonij rati, ùt amplius deducit P. Maſtrius cit. *à n.* 190. qui etiam *n.* 198 adductum Scoti textum ſubtiliter ex Hiquæo explicat. Sanchez quoquè latè probat hanc diſſolutionem non fieri Jure naturæ, aut ex natura voti *de matrim. l. 2. diſp. 19. n. 3. & diſp. prior. n. 3.* adfert aliqua exempla eorum, qui poſt nuptias religioſam vitã amplexi ſunt. Qualia etiam leguntur in Gratiano *poſt c. ſcripſit. 26. xxvii. q. 2.* & Scoto *loc. cit.*

§. V.

Reſolvitur Caſus de voto Solenni.

ANtonius, dum crediderat ſe ſextum decimum ætatis annum ſuperâſſe, in Monaſterio N. ad Profeſſionem admittitur. Poſt ſeptem inde annos advertit ex Matre ſua, quæ tempus ſingulorum, â ſe Genitorum, exactè recenſet, ſe tardiùs, quàm putârat, lucem vidiſſe, & ductô calculô ſex qua-

quasi Mensibûs ante 16. annum professum fuisse. Interrogatur iterum Mater, an firmam eorum, quæ narrat, memoriam habeat, dúmque omnia etiam Juramentô roborare paratam videt Antonius, deliberare incipit, an non sibi liceat ad sæculum remeare, & valedicendo Religioni, cujus tædiô jam dudum afficitur, uxorem quærere? Quid igitur concludet?

77. *Respondeo*: Testimonium Matris de ætate filij admitti quidem in Jure *L. Etiam Matris ff. de probat. Etiam Matris professio de ætate filiorum recipitur*: *sed & Aviæ*: Si tamen illud sit solum, nec aliîs adminiculîs juvetur (v. g. libellô Patris, in quo annus nativitatis notatus est, jurata confirmatione Patrinorum) non nisi præsumptionem aliquam inducit, ùt notant Canonistæ Reiffenst. *l. 2. tit. 20 n. 106.* Pirhing *ibid. n. 34.* præsertim dum agitur de favore filij, ùt in casu, in quo Antonius se à jugo Religionis liberare desiderat. Atque hoc non tantùm pro foro externo verum est, sed nec in interno unicum testimonium Matris sufficit: si enim Matri, in sui præjudicium quidquam asserenti, credere non obligatur, e. g. quòd sit ex illegitimo concubitu genitus; pari ratione non audet firmiter credere in proposito, & ob illud ad

annullandam professionem, & deserendam Religionem descendere, cùm hoc sit unus ex gravioribus factis: Jura quoque multùm solicita sint ad manutenendam professionem semel emissam. Donec igitur Antonius ea de sua ætate non habuerit fundamenta, quæ in judicio deducta, fidem facerent (ùt esset testimonium ex libro Baptismali, aut matris etiam, sed munitum jurata assertione Patrinorum &c.) non auderet sub nullitate quidquã attentare contra professionem, quæ possessione illum vincit.

78. Immò tametsi certus redderetur de professione, ante legitimam ætatem emissâ, & ob id invalidâ, adhuc attendendum est, an non illam aliquando renovaverit? suppositâ enim renovatione, Antonius in Religione permanere debet eô, quôd per renovationem professio priùs invalida valere incipiat, aut potiùs de novo esse accipiat. Si verò dubitet de renovatione: in foro fori illa quidem præsumitur ex Jure Tridentini, ùt dictum N. 61. Tùm quia in omni Religione consuetum est, professionem singulis annis certa die renovare: in foro tamen Poli, haud obstante contraria opinione Sanch. l. 7. de matrim. d. 37. n. 12. credo eam præsumptionem non currere, cùm Tri-

bunal conſcientiæ præſumptionibûs nequaquàm regatur; ſed ſicut conſtare debet de ipſa profeſſione, ut quisquam illâ ligatus declaretur, ita etiam de renovatione, dum certum eſt, profeſſionem fuiſſe nullam. Alioquin dubitans de illa renovatione ex poſſeſſione libertatis â vinculo Religionis abſolvi debet: pro quo vide, quæ dicam in fine *Numeri* 141.

Adverte autem, renovationem debere eô animô fieri, quòd ſe ex tunc adſtringat votîs, licèt contigiſſet, profeſſionem in principio nullitatis vitiô laborare: Nam ſi quis profeſſionem priorem repetit tantùm, quia aliunde credit, fuiſſe validam, non repetiturus, nec renovaturus, ſi ſibi vitium illius conſtaret: utique illi nihil roboris accreſcit per ea, quæ generaliter docentur de *renovatione conſensûs*, & tetigi *N.* 45. *in fine.*

79. *Quid ergo*, ſi Antonius certus eſſet de nullitate profeſſionis, quam etiam nunquam ratificavit? *Reſpondeo*: cùm quinquennium ab illius emiſſione ſit, ùt in caſu dicitur, præterlapſum, ad probandam nullitatem illius non admittetur, niſi à S. Sede obtineat Reſcriptum, vigore cujus audiri poſſit. Clericatus *de Regularib. diſcordiâ* 37. *n.* 8. *& ſeqq.* quem vide.

vide. Tridentinum namque omnem audientiam denegat, cui Prælatus, & Ordinarius contraire non audent, donec à Pontifice, aut Sac. Congregatione, negotijs Regularium præpositâ, ad id non legitimentur. Cæterùm si se in foro fori juvare non posset, unà etiam animum permanendi in Ordine non habeat: præstoletur occasionem sine scandalo, & tumultu clam fugiendi, & ita liber constitutus attentet id, quod sibi magis congruum apparebit. Interim autem, quia alitur à Religione, pro viribus suis eidem serviat, ne sit *fruges consummere natus*, & onerosus: ab actibus tamen legitimis, quoad licuerit, abstineat, quia tunc tantùm validè eos exercere potest, quando scandalum, aut publica admiratio illos jubet. Et hæc patent ex ijs, quæ *â N.* 59. deduxi.

80. Volunt quidem aliqui, talem, dum fugerit, obligatum esse ad expensas, in sui favorem à Religione factas. At nisi expensæ fuerint omninò notabiles, & extraordinariæ, quæ etiam specialibus servitijs Religioni exhibitis compensatæ non fuissent: haud credo, illam obligationem adesse: Cùm enim Religiosus victu, & amictu contentus, Monasterio serviat, nec ullus sit famulus tam ignobilis,

bilis, qui non aliquid lucretur præter præcisè neceſſaria, ab omni obligatione reſtitutionis liber manet.

COGNATIO.

Triplex eſt cognationis genus: *Spiritualis* videlicet, *Naturalis*, & *Legalis*, de quibus, tanquàm diſtinctîs Impedimentîs, per diſtinctos agā Articulos.

ARTICULUS I.

Cognatio Spiritualis

§. I.

Explicatio, & Impedimentum Cognationis ſpiritualis.

81. COgnatio ſpiritualis eſt vinculum, contractū ex diſpenſatione Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis tantùm, quoniam *ex datione aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquā oritur, quæ matrimonium impediat, vel diſſolvat. c. ult. de cognat. ſpirit. in 6.* Hoc Cognationis Impedimentum non originatur ex Jure naturæ, cùm nec Sacramenta ſint illius Juris: nec ex Jure Divino, quia in Sacris Paginis non exprimitur: ſed ex ſtatuto Eccleſiæ duntaxat. *In Baptiſmo quippe illa ſpiritualis generatio celeb-*

celebratur, de qua Veritas ait: Oportet vos nasci denuò quia nisi quis renatus fuerit &c. c. debitum 4. *de Regul.* quæ generatio vi Confirmationis amplius roboratur, & perficitur: quia, ùt Melchiades Papa *c. Spiritus Sanctus* 2. *dist.* 5 *de consecrat.* dicit. *in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Et quàmvis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia &c.* Hinc voluit Ecclesia, ut, sicut ex generatione carnali resultat Cognatio, quæ matrimonium dirimit, ita oriretur ex generatione spirituali, cùm & spiritualibus Patribus debita sit reverentia, quæ indecens efficit opus matrimonij inter illos, & filios. *Ita diligere* honorare, revereri) *homo debet eum, qui se suscipit de sacro fonte, sicut Patrem,* ait Nicolaus Papa *c.* 1. *xxx. q.* 3.

82. Utcumque ampla, & ad plures extensa olim erat hæc cognatio, ùt videre est *in caus. cit. q.* 1. *&* 3. Item *tit. de cognat. spirit.* etiam *in* 6. & fusè explicat post alios Pirhing 4. *Decret. tit.* 11. Verùm quia experientia docuit PP. Conci-

lij Trident. *propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur, sess. 24. de reform. matrim. c. 2.* ductu Spiritûs S. se ad restringenda aliqua Impedimenta accinxerunt, & à Cognatione spirituali initium sumentes, sanxêre: *ut unus tantùm sive vir, sive mulier juxta sacrorũ Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos, & baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatîque Patrem, ac Matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.* Juxta hanc ergo sanctionem cognationis Impedimentum solummodò afficit baptizantem, & Susceptores, seu Patrinos ex una, & baptizatum, hujúsque Patrem, & Matrem ex altera parte: sic in exemplo.

Petrus Baptizans		*fiũt Cognati*	Titio baptizato
Paulus	Patrini	*non inter se*	Lino Patre Titij
Anna		*sed cum*	Caja Matre Titij

Quia videlicet Petrus, Paulus, & Anna fiunt

fiunt Parentes ſpirituales Titij, & Compatres, ſeu illius ſimul Parentes cum Lino, & Caja Parentibûs carnalibûs. Niſi ergo aliqui, de quibus dubitari contingeret, ſint ex perſonis, in hac figura poſitîs, à ſpirituali cognatione imunes cenſentur, nec hoc impedimento onerantur.

83. Eôdem modô limitat Concil. *cit.* Cognationem ex Sacramento Confirmationis: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiúsque Patrem, & Matrem, ac Tenentem non egrediatur: omnibûs inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis Impedimentîs omninò ſublatîs.* Exemplum eſt idem, quod de Baptiſmo, ſi loco Petri *baptizantis*, & Titij *baptizati* poſueris illum *confirmantem*, & hunc *confirmatum*, ſimúlque unum ex Patrinis omiſeris, cùm unus tantùm in hoc Sacramento adeſſe ſoleat.

84. Infero ex his *I.* Inter Patrinos ipſos nullam exurgere cognationem: dum enim Trident. dicit: *Inter quos* (Levantes, ſeu Patrinos) *ac baptizatũ ipſum &c. Cognatio contrahatur*; non intelligit, eam ab illis inter ſe, ſed cum baptizato, & hujus parentibus contrahi: & ob hoc conjuges, ſimul Patrinos eſſe, nullo Jure prohibetur. *II.* Nec parentes Legales,

seu adoptivi, si quos Titius habet, cũ Petro, Paulo, & Aña: quia lex Tridentini loquitur de parẽtibus carnalibus duntaxat, & quidem etiam illegitimis: quapropter qui filium suæ concubinæ baptizavit, aut levavit, illam in uxorem habere non poterit. *III.* Ad emanationem hujus Impedimenti Baptismum debere esse validũ: *nam accessorium naturã sequi congruit principalis. R.* 42. *I. in* 6. quando ergo Baptismus nullus est, nulla quoque erit cognatio, quæ est illi accessoria. Dum tamen non constaret de invaliditate Sacramenti, sicut præsumeretur valor illius, ita etiam cognatio. *IV.* Hoc impedimentum non emori ad mortem prolis baptizatæ, sed esse perpetuum, ùt alia impedimenta, quæ à Jure ad certum tempus non arctantur: proinde notante P. Sporer *de matr. n.* 136. non verificatur illud usitatum Germanorum. Das Kind ist gestorben / die Gevatterschafft hat ein end. Atque hæc sunt extra omnem dubitationem, & cognationi ex Confirmatione ortæ, ubi fieri potest, omninò applicanda.

85. *Dubitabis verò I.* Utrum fiat cognatus, qui in necessitate baptizat? *Respondeo affirmativè* eô, quòd Baptismum ministret, fiátque verus Pater spiritualis baptizati. Et quia Baptismus non confi-

citur

citur, dum postmodum solemnitas cœremoniarum suppletur, nec ille, qui eas supplet, nec qui assistunt, cognationem contrahunt.

Sed quid dicendum, Si ob dubium de valore Baptismi, ex iminenti periculo collati, illum sub conditione iterari contingat? *Respondeo:* P. Reiffenst. 4. *tit.* 11. *n.* 18. ex Sanch. *l. c. disp.* 62. *n.* 6. docere, quòd Ecclesia stante tali dubio cognationem præsumat in eo, qui Baptismũ sub conditione repetit, & Patrinîs tunc levantibûs. *At secluſa consuetudine alicujus Ecclesiæ*, crederem, in foro interno saltem, oppositum esse verius ex ratione, quòd in dubio præsumendum sit pro valore Baptismi, in necessitate collati, donec aliud non constet: adeóque præsumendum quoque erit pro cognatione, ab illo contractâ, qui in necessitate baptizavit, non ab illo, qui sub conditione rebaptizavit. Quòd autem haud obstante ea præsumptione de valore Baptismi, ille nihilominus repeti conditionatè debeat: id fit propter summam necessitatem hujus Sacramenti, quæ possibilem certitudinem exigit: præcisa autem illa necessitate, ob merum dubium utique nulla reiteratione opus esset, prout videre est in Sacramento matrimonij v. g. quod ob me-

rum dubium non ampliùs repetitur, ſicut nec alia Sacramenta plura.

Dixi: *Secluſa conſuetudine alicujus Eccleſiæ;* quia ex ea poſſunt impedimenta meri Juris Eccleſiaſtici ampliari, & alterari, ùt patebit per decurſum, & ampliùs docetur agendo *de Impedimentis in genere.*

86. *Dubitabis II.* An idem ſentiendum de conjuge, qui proprium filium in neceſſitate baptizavit? *Reſpondeo*: hôc ipsô, quòd cognatio ſequatur Baptiſmũ validè collatum, conjux efficitur compater, & cognatus ſuæ uxoris, & ê contra: ſeparari tamen propterea non debent, nec â perſolvendo invicem debito conjugali prohiberi ob claram deciſionem *c. ad limina 7. XXX. q. 1.* ubi refertur, Joannem Papam VIII. reprobâſſe factum Anſelmi Lemovicinæ Epiſcopi, qui ob hanc cauſam, *quaſi rectitudinis zelô flagrans*, maritum à ſua conjuge judicavit ſeparãdum: etenim *ſi Genitor filium ſuum* (ùt *ibi* Papa ait) *corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri undâ Baptiſmatis lavit, ut eum de poteſtate authoris mortis, & tenebrarum eriperet, & in regnum Chriſti jam regnaturum ſine dubitatione transmitteret, benè feciſſe laudatur; & idcirco ſuæ uxori, ſibi*

jam

jam legitimè sociatæ, impunè, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum: nec ob hoc - - - aliquatenus separari debere

Immò hoc idem cum Reiffenst. *cit. n.* 30. Elbel *de matr. n* 151. Sporer *ibid. n.* 481. contra Sanchez *l.* 9. *disp.* 26. *de matr. n.* 7. plures referentem, dicendum existimo in casu, quô conjux sine necessitate baptizaret proprium filium, aut è sacro fonte levaret videtúrque decisum *c.* 2. *si vir. de cognat spirit.* ex epistola Alexandri III. qui interrogatus: *si vir, vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant?* in hunc modum respondit: *Quàmvis generaliter sit institutum* (videlicet *c. si quis xxx. q.* 1.) *út debeant separari: quidam tamen humaniùs sentientes, aliter statuerunt. Ideo nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus,* dum nempe conjux patrinum ageret, ut inde cognatus suæ uxoris, quam fors aversatur, effectus, facultatem haberet ab ea recedendi. Porrò tametsi textus expres-

sè

sè ſonet de conjuge, ſuum filium levante tantùm, à fortiori tamen omnes intelligunt etiam de baptizante. Illud nihilominus concedo, conjugem hoc abſque neceſſitate attentantem, delinquere in Canones *cauſ. xxx.* qui id tam ſolicitè vetant.

87. *Dubitabis III* An infidelis, prolem fidelium baptizans, illorum cognatu fiat? *Reſpond. negativè*: quia hæc cognatio pro ſuo principio agnoſcit authoritatem Eccleſiæ tantùm, cui infidelis ſubjectus noneſt Maſtrius 4. *diſp.* 7. *n.* 465. & *communis Modernorum.* Accedit analogia ad cognationem carnalem: ſicut enim conſanguinei ab uno communi ſtipite deſcendere debent: ita cognatio ſpiritualis exigere videtur, ut eâ affecti, ab uno ſpirituali Parente Chriſto Domino per lavacrum regenerationis deſcendant, quod de infideli non verificatur. Pari ratione fidelis non fit cognatus infidelium parentum, eorum prolem baptizans. Nec hæc cognatio convaleſcit in caſu, quô infidelis poſtea ad fidem converſus, Baptiſmô initiaretur: quia *quod in initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere. L. quod in initio* 29. *ff. de R. I.* Unde illa *Reg.* 18. *I. in* 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit.*

Sig-

Signanter dixi: *fidelis non fit cognatus infidelium parentum*; Quàmvis enim non fiat illorum, fit tamen talis reſpectu prolis eorum baptizatæ, quæ ratione Baptiſmi fit ſubdita legi Eccleſiæ, hanc cognationem inducentis, ratione cujus non poterit fidelis, qui baptizavit, matrimoniô illi jungi, ùt notat Sanch. *l. c. diſp.* 60. *n.* 15. Et quia hæreticus etiam propter characterẽ baptiſmalem ſubjicitur Eccleſiæ, tenetúrque ad leges illius (quòd multi volunt, de quo *alibi*) ſequitur illum ex Baptiſmo, & officiô Patrini verum evadere cognatum.

§. II.

Specialia de Patrinis.

88. VIſum eſt ſuprà *N.* 82. *ut unus tantùm ſive vir, ſive mulier, vel ad ſũmum unus, & una batizatũ de ſacro fonte ſuſcipiant*, jubere Trid. ibi *cit.* quod ultrà adhuc mandat, ut *Parochus, antequàm ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut batizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceátque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ ex-*

excusari valeant. Quòd si alij ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullô pactô contrahant. Constitutionibûs, in contrarium facientibûs, non obstantibûs &c. In qua lege

89. *Notanda 1.* veniunt illa verba: *de sacro fonte suscipiant: tetigerint*, quæ & similia, ùt *accipere, levare de sacro fonte, tenere* leguntur etiam in varijs Canonibus *caus. cit XXX q. 1. 2. & 3.* ac in Decretal. *tit. de cognat spirit.* Ea etenim *cõmunis*, & recepta sententia in propria significatione intelligit, indéque deducit, ad munus Patrini, in ordine ad contrahendum cognationis impedimentum, absolutè necessarium esse, ut ille baptizandum (vestitum etiam, in disco jacentem, aut linteô obvolutum) sive infans sit, sive adultus, dum sacrâ undâ abluitur, immediatè tangat, & teneat, ùt regulariter in usu est: aut saltem â Sacerdote tempore ablutionis tentum, mox pòst immediatè suscipiat, ùt in aliquibus Ecclesijs moris est: nec sufficere, si infantem ablutum â manibus alterius, cui illum Sacerdos tradidit, suscipiat, nisi & id sufficere praxis, & consuetudo alicujus Ecclesiæ, seu Diœcesis doceat, qualem Sporer *de matr. n.* 95. ex Gobat refert in Diœcesi Constan-

ſtantienſi, in qua matrina â Patrino poſt ablutionem accipit infantem.

90. Ex hoc apparet, quid dicendum de eo, qui mediante procuratore, aut Legato patrinum agit. Et quidem eam praxim, licitam eſſe experientia docet quoad illuſtres, & principes perſonas, fundatúrque in *R.* 68. *I. in* 6. *Poteſt quis facere per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*, niſi id Jure prohibeatur. Quantùm verò ad impedimentum cognationis, conveniunt DD. illud procuratorem non tangere, cùm non ſuo, ſed mandantis nomine infantem ſuſcipiat: nec hoc munus exercendi intentionem habeat, quæ neceſſaria eſt, ùt *N* 96. dicam Nec electus, & deſignatus ſit, quod ſimiliter requiritur ex dicendis *N.* 93. Sed an idem ſentiendum de ipſo Principali, ſeu mandante, variant DD. Reiffenſt. Pirhing *ll. cc.* negant *cum communiori.*

Verùm præciſa Declaratione Cardinal. aut conſuetudine in contrarium videretur affirmandum ex *N. priore*, quia videlicet ad cognationem contrahendam neceſſarius eſt tactus phyſicus, quem tamen mandans non exercet, ùt certum eſt. Propterea huic rationi, & opinioni adhærent Sanchez *cit. d* 59. *n.* 4. Marchant. *Trib. ſacr. tom.* 3. *p.* 3. *tract.* 1. *t.* 5. *q.* 2.

præ-

præsertim cùm Impedimenta tamquàm odiosa, potiùs minui, & restringi debeant, quod & Tridentinum intendit, ùt *N.* 82. visum. Concedunt nihilominùs, Mandantem obligari ad omnia ea, ad quæ ex *can.* 105. *d.* 4. *de consecrat.* Patrinus erga Baptizatum tenetur. Et quia hanc obligationem in institutione Patrinorum Ecclesia primariò intendit, ut scilicet pro Baptizato fidejubeant, illúmque in defectu aliorum, veluti Parentes spirituales in necessarijs instruant: consentit, ut munus Patrini etiam per alium obiri possit.

91. Notanter addidi *I. præcisis declarationibûs S. Congregationis.* Dicit quidem Marchant. *l. c.* eas, quæ circumferuntur, esse partim incertas: partim sibi invicem contrarias, licèt nullas tales adferat. Engel item 4 *lib. tit.* 11. n. 6. videtur desiderare aliquam usu receptam, & authenticè ad mentem Decreti Urbani VIII. exhibitam: At P. Reiffenst. *cit. n.* 23. præter plures decisiones Rotæ, de quibus testatur, ùt ait, Barbosa, adducit declarationem Cardinalium, quæ expressè sonat. *Procurator non contrahit cognationem sibi, sed mandanti.* Addidi *II. Præcisa item consuetudine alicujus Ecclesiæ:* Monui siquidem hoc in nego-

negotio eam prævalere. Et talis viget in Diœceſi Ratisbonenſi, teſtante P. Elbel, qui *de matr. n.* 147. ait, ſibi â Reverend. Conſiſtorio illius gratiosè reſcriptũ fuiſſe, Infantem, cujus nomine pater levaret alium ê Baptiſmo, contrahere cognationem ſpiritualem. *Sed* jam regrediendo ad textum Trident. *N.* 88. poſitum.

92. *Notandum II.* eos tantùm effici cognatos, qui *baptizatum de ſacro fonte* ſuſcipiunt. Igitur, qui, Baptiſmô domi jam collatô, agunt deinde patrinos, dum ſupplentur cœremoniæ, eximuntur â cognatione, conformiter ad dicta *N.* 85.

93. *Notandum III.* Illos tantùm, quos parentes *elegerint*, aut alij, ſeu *deſignatos* hanc cognationem contrahere: Unde ſi qui commoditatis cauſâ, aut quacumque ratione baptizatum tetigerint, aut ſuſceperint, non evadunt cognati: ſicut nec illi, qui Baptiſmo domi, ex accidente collato, aſſiſtunt, niſi id fieret advocatô Sacerdote, & deſignatîs Patrinîs, prout cum prolibus Nobilium quandoque fieri videmus; quàmvis major ſolennitas, & cœremoniæ in aliud tempus differantur.

94. *Notandum* denique illud: *aut ad ſummum unus, & una baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant.* Ex quibus verbis aliqui

colligunt, quòd si plures, quàm duo ad hoc munus eligantur (quod licitum est propter consuetudinem aliquorum locorum) nullus illorum sit cognatus censendus; quia dicunt, Concilium præscribendo duos tantùm Patrinos, irritâsse factum plurium: cùm igitur in casu, quô plures electi tangunt baptismũ, non sit major ratio de uno, quàm de altero, nullus illorum contrahit cognationem. Verùm quia plures illi specialiter electi sunt, crederem cum Sanchez *cit. disp.* 57. *n.* 14. Reiffenst. Mastrio *n.* 467. &c. omnes ex illis fieri cognatos, qui tangunt, & suscipiunt baptizatum. Prohibet quidem Tridentinum, ultra duos non esse admittendos à Parocho, nisi praxis aliud suadeat: sed notum est, quòd *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. c. ad Apostolicam* 16. *de Regular.*

Interim ad obviandum omnibus difficultatibus placet factum Caramuelis, quod ejusdem verbîs refero: Adhibendi plures patrinos erat cõsuetudo in Bohemia, antequàm ibi Archi-Episcopatum gubernarem. Jussi, ut unus, & una in Baptismate, unus, vel una in Confirmatione (nempe vir pro viro, fœmina pro fœmina) essẽt primarij, cœteri secundarij.

„ rij. Et declaravi, primarios esse Ecclesia-
„ sticos, & juxta Canonum institutionẽ
„ susceptos. Cæteros esse politicos, & tan-
„ tummodò concernere politicã authori-
„ tatem. Illos debere scribi in libro Paro-
„ chi, & affinitatem (*cognationem*) con-
„ trahere: hos autẽ aut non esse scriben-
„ dos, aut esse scribendos cum addito, ut
„ semper ex libro constaret, eos civiles,
„ & non canonicos fuisse Patrinos. Ita
„ ille *Theolog. fundament. lib.* 3. *n.* 3113.

95. *Quæres autem* I. An Patrinus aliquam intentionem habere debeat? *Respondeo*: utique aliquam necessariam esse, ut levatio infantis de Baptismate sit actus humanus: sufficit verò, ut velit agere Patrinum juxta institutionem Ecclesiæ, seu eô modô, quo ad id invitatur, quia videlicet invitatur, ut satisfiat voluntati Ecclesiæ. Nec opus est, ut se ad cognationem spiritualem reflectat: eam namque contrahet eô ipsô, quòd Patrinum agat: quia huic actui cognatio ab Ecclesia est affixa; sicut affinis fit Cajæ hôc ipsô, quòd carnaliter cognoscat sororem illius, licèt de ea affinitate non cogitet. Atque ex his patet, eum, qui usu rationis caret, licèt baptizatum de sacro fonte levarent, ullâ cognatione ligari; nisi propter contrariam consuetudinem aliud di-

cendum sit, qualem adesse in Diœcesi Ratisbonensi dixi N. 91. Patet item hic adesse locum Errori substantiali, ùt si leves filium Pauli, quem credis esse Petri; etenim non efficieris cognatus Petro, quia illius filium non levâsti; non etiam Paulo, quia defuit intentio illius prolem levandi. sed vide, quæ dixi *N. 6.*

96. *Quæres II.* Quid adhuc requiritur in Patrino ad contrahendam cognationem? *Respondeo: Ex communi sententia* in Patrino Baptismi exigi, ut sit baptizatus, & in Patrino Confirmationis, ut sit confirmatus. *In Baptismate, vel Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus. can.* 102. *de consecr. dist.* 4. Et Rituale Romanum, ùt refert Reiffenst. *cit. n.* 27. *Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in confirmatione Patrinus. p.* 1. *tit.* 1. *de confirmat.*

Qui autem licitè esse, aut non esse possint Patrini, & quæ obligatio eorum, vide Theologos: quamquàm de obligatione vix restat aliquid dicendum, cùm instructio, & alia à Parentibus, vel Ludimagistris obviè supleantur. Et quæ dicta sunt de Patrinis Baptismi, proportionatè intellige de Patrinis Confirmationis.

§.

§. III.

Resolvitur casus de Cognatione Spirituali.

Tenelâ partûs doloribûs vehementer attritâ, infantis pes tantùm ex utero eminet: & Obstetrix, fœmina sagax, animosa, & in casibus inopinatis multùm versata, periculum iminere videns, sumit aquam, & prolatâ cum intentione formâ, pedem, qui prominebat, abluit. Sed quia applicatis remedijs, Tenela sanum tandem edidit partum, fuit ille sub conditione rebaptizatus, invitatò, & comparente ad Patrini munus Ausoniô. Tenela intra annum vidua effecta, libenter nuberet Ausonio, quæritque, an id sine dispensatione fieri possit?

97. *Respondeo*: probabilius videri, nulla hìc opus esse dispensatione; & quidem *primò* non ex eo, quòd incertus sit Baptismus ab Obstetrice collatus: etenim dum illa est prudens, benè instructa, & in periculis fortis, prout in facti specie describitur, nequit prudenter dubitari, aliquod essentiale Sacramenti neglectum fuisse; unde nec Baptisma repetendum esse, nisi consuetudo loci aliud jubeat, advertit P. Kazenberger *in Supplem. ad Theol. Sacram. P. Sporer n.* 44. sed Ec-

cleſiaſticam ſolennitatem duntaxat ſupplendam. *Secundò* non etiam ex eo, quòd, cùm Baptiſmus, ablutione pedis tantùm miniſtratus, ſit multùm dubius, certius eſt, Sacramentum deinde primùm confici, dum repetitur; ſícque Auſonius, in repetitione illius Patrinum agens, evadit cognatus. Tum quia non eſt exploratum, ablutionem pedis minùs ſufficere ad Baptiſmum: cùm enim pes ſit pars principalis ſimpliciter, & multùm notabilis, ad ſpeciale miniſterium corporis deputata, licèt non principalior, ùt caput: videtur probabilius eſſe, valere Baptiſmum, cum illuis abluitione. Quòd autem pes tantùm regulariter ablui non ſoleat, aut ſi in neceſſitate abluatur, Baptiſmus ſubinde ſub condione repetatur, id non fit, quaſi minùs probabile foret, illum valuiſſe, ſed propter ſummam neceſſitatem hujus Sacramenti, ùt *ſuprà N.* 85. adnotaveram. Quare probabilius erit, Obſtetricem tantummodò cognationem contraxiſſe, non Auſonium per dicta *N. cit.* Tùm quia certum debet eſſe impedimentum, ut matrimonium inhibeat, & irritet, aliàs manet in poſſeſſione libertas, & poteſtas illud contrahendi: cùm ergo non ſit certum, Baptiſma non valere cum ſolius pedis ablutione, ſed valere

lere tantùm, dum reiteratur, per conſequens certum quoque non ſit, Auſonium reiterationi adſtantem, tanquàm Patrinum contraxiſſe impedimentum cognationis ſpiritualis: liberè poteſt abſque diſpenſatione Tenelæ matrimonialiter copulari; ſicut & ille ei, de qua certus non eſt, ſuam conſanguineam eſſe.

Verùm & hæc intellige quantùm ad vim Juris communis, & rationis: conſuetudo namque, quæ alicubi vigeret, efficere poſſet, ut ille, qui in repetitione Baptiſmi compatris officium agit, cognatus fiat: ſicque Auſonius in loco hujuſmodi conſuetudinis nequiret Tenelam habere in uxorem, niſi ab impedimento cognationis per diſpenſationis beneficiũ purgetur. Quapropter inveſtiganda erit loci conſuetudo, antequàm in talis facti contingentia ſecurum judiciũ formetur.

ARTICULUS. II.

De Cognatione naturali.

§. I.

Explicatio Cognationis naturalis.

98. COgnatio naturalis, ſeu conſanguinitas, & quaſi *ſanguinis uni-*

tas eſt vinculum Perſonarum, ab eadem perſona, aut ſtipite carnali propagatione deſcendentium. Vel clariùs: eſt attinentia perſonarum ex eo proveniens, quòd una deſcendat ab altera, vel ambæ ab eadē; ſive iſte deſcenſus, & propagatio fiat per copulam licitam, & uxoriam, ſive illicitam, & fornicariam, cùm Canones quoad dirimendum matrimonium id minimè diſtinguant. *arg. c. per tuas, de probat.* ſive item deſcenſus fiat per lineam maſculinam, id eſt per Patrē, ſive fœmininā, ſeu Matrem eandem: unde fit, quòd cognatio, & agnatio in propoſito ſumantur pro eodem, quàmvis linguâ, ad proprietatem Juris accommodatâ, illi tantùm, qui ex linea fœminea, *cognati*, & qui ex linea maſculina deſcendunt, ſeu die eines Mammens / Stamens / und Helms ſeynd / ùt cum aliis explicat Schmier *in ſua Juriſprudentia &c. agnati* propriè dici debeant. *l. 10. §. 2. ff. de Gradib.*

99. Conſāguinitas dividitur in lineas, & linea in gradus. Linea eſt collectio, ſeu ſeries perſonarum ab eodem ſtipite promanantium; & ſi perſonæ ſint tales, quarum una ab altera propagatur, conſtituunt lineam *rectam*: ſi verò una ab altera non procreatur, ſed ambæ, aut plures ab una aliâ, faciunt lineam *tranſverſam*,

ſam, collateralem, ſeu *obliquam*. Gradus eſt diſtantiâ unius perſonæ ab alia: perſonæ namque in una linea exiſtentes diſtinguuntur per gradus, ut innoteſcat, quantum una in conſanguinitate diſtet ab altera. In exemplo: Paulus genuit Petrum, Petrus iterum Andream. Paulus, Petrus, & Andreas ſunt conſanguinei in linea recta, & quidem *Aſcendentium*, ſi ab Andrea numeres ad Paulum, quia ſcilicet progrederis â Genitis aſcendendo ad Genitores: *Deſcendentium* autem, ſi â Paulo Genitore calculando deſcendis ad Petrum, & Andream genitos. *Aliud exemplum:* Otto genuit Cajum, & Annam. Cajus, & Anna non ſunt in linea recta, quia unus non genuit alterum, ſed tranſversâ eô, quòd ambo ſint ab uno communi patre Ottone geniti: & idem eſt de prolibus Caij, & Annæ, ſi quas habent, quia ſimiliter ſe invicem non procreârunt, ſed omnes ab Ottone deſcendunt, proles nempe Caij mediante Cajo, qui eſt filius Ottonis, & proles Annæ mediante Annâ filiâ Ottonis.

Quia verò non rarò contingit, quòd unus ex duobus fratribus habeat filium, & Nepotem, ſeu filij filium, qui generationi vacans, iterum aliũ filium generat;

alter verò frater, vel ſoror aut nihil generet, aut generet quidem filium, Nepotem tamen non habeat, id eſt, generet filium, qui alium deinde non genuit: ortum inde ducit linea *transverſa inæqualis*, quæ eſt, dum collaterales conſanguinei à communi ſtipite inæquali gradu diſtant: ùt in priori exemplo: ſi Cajus frater Annæ genuit Titium, Titius iterum Petrum, Anna verò nullum filium, vel filiam habeat; Titius, & Petrus ſunt conſanguinei Annæ in linea tranſverſa (eò, quòd ab illa non ſint geniti) ſed *inæquali*, quia non æqualiter diſtant à communi ſtipite Ottone: Anna namque immediatè deſcendit ab illo, tanquàm filia, Titius autẽ, & Petrus deſcendunt ab illo mediatè tantùm, mediante videlicet Cajo, qui fuit filius Ottonis: unde Otto reſpectu Caij, & Annæ dicitur *Pater*, reſpectu Titij *Avus*, & reſpectu Petri *Proavus*. Cajus, & Anna dicuntur *filius*, & *filia* reſpectu Ottonis, Titius *Nepos*, & Petrus *Pronepos*. Cajus dicitur *frater* reſpectu Annæ, Titius *fratris filius*, & Petrus *fratris Nepos* (& hoc ſecundum nomina inſcripta Arbori conſanguinitatis, quæ eſt Decreto, & Decretalibus inſerta: aliàs autem non malè diceret, qui Titium vocaret reſpectu Annæ *Nepotem ex fratre*, & Pe-

Petrum *Pronepotem ex fratre*) Anna denique reſpectu Caij dicitur *ſoror*, reſpectu Titij *Amita*, & reſpectu Petri *Amita magna*, id eſt *Avi ſoror*; nam Cajus, cujus illa ſoror eſt, eſt *Avus* Petri.

Poſui hanc brevem nomenclaturam pro exemplo allato ad brevem aliquam illius notitiam: ſi ampliorem deſideras, eam colliges ex Arbore conſanguinitatis, quæ paſſim circumfertur. Vide etiam vulgare Dictionarium Friſij, quod in fine omnia nomina adducit, ac explicat: compendioſè item Sporer *de matrim. n.* 66. Cœterùm mei animi eſt, ad tollendam omnem difficultatem, quam in pluribus probavi, ab his proprijs vocabulis abſtinere, & gradus conſanguinitatis ſimpliciori calamô, & claritate mihi poſſibili in ordine ad praxim explanare.

100. Itaquè, qui ſcire cupit, in quo conſanguinitatis gradu aliqui ſe invicem reſpiciant, omnium primò attendat, ad quam lineam pertineant, idque ſine magno examine noſcere poterit ex dictis: ſi namque viderit, illos ſe invicem genuiſſe, ſunt in linea recta: ſi verò unus ex illis alterum non genuit, ſed illorum Ante-nati ab uno Patre, aut Matre, vel Patre, & Matre geniti ſunt, ſpectant ad lineam collateralem. Hôc animadverſô at-

attendat ultrà, an ambo æqualiter distent ab illo communi stipite, seu Patre, vel unus sit distantior alterô: id est, an unus, antequàm deveniatur ad illum communem stipitem, plures supra se numeret, quàm alter? si non plures, sed tot unus supra se habeat, quod alter, sunt in linea transversa æquali, & êcontra in inæquali, si unus plures supra se habeat, quam alter. Lineâ ita adinventâ pergat ultrà juxta unam, vel aliam Regulam ex tribus sequentibus, quas etiam exemplis illustrabo.

101. Prima Regula pro linea rectà est: *quot sunt personæ, tot sunt gradus, demptâ unâ:* idcirco aliô opus non est, quàm ut numerentur personæ: sic in exemplô jam positô: Otto genuit Cajum, hic Titium, & Titius Petrum.

	Otto	*Proavus.*
	|	
Gradus 1	Cajus	*Avus*
	|	
Gradus 2	Titius	*Pater*
	|	
Gradus 3	Petrus	*Filius*

Personæ sunt 4. deme unam, manent 3. infer ergo Petrum esse in tertio gradu lineæ ascendentium cum Ottone. Ratio hujus Regulæ est, quòd nemo solitariè sump-

ſumptus faciat gradum conſanguinitatis, ſed cum altero; quia conſanguinitas fundatur in generatione, quæ eſt inter duos: duo igitur non conſtituunt, niſi unum gradum: per conſequens dum per numerum perſonarum recenſentur gradus, una perſona demi debet. Et clarum eſt, in poſito exemplo eſſe tres tantùm generationes, unam ſcilicet inter Ottonem, & Cajum, alteram inter hunc, & Titium, ac inter Titium, & Petrum tertiam.

102. Secunda Regula pro linea tranſverſa æqualis eſt: *quô gradu diſtant â communi ſtipite, cô diſtant inter ſe.* e. g. duo fratres, qui diſtant uno gradu à patre, cujus ſunt filij, unô quoque diſtant inter ſe, & ulteriùs progrediendo, ſumo exemplum ſuprà poſitum: Otto genuit Cajum, hic Titium, Titius Petrum: Anna verò ſoror Caij genuit Bertam, & Berta Paulum, & hôc modô illud adnoto

Otto Pater, ſeu Stipes

Gradus 1.	Cajus	Anna.	1. *Gradus*
Gradus 2.	Titius	Berta.	2. *Gradus*
Gradus 3.	Petrus	Paulus.	3. *Gradus*

Ut ſcias, quoto gradu diſtent Petrus, & Paulus, numera gradus inter Petrum, &

& Ottonem, aut hunc, & Paulum. Petrus, & Paulus cum Ottone sunt in linea recta eô, quòd Petrus ab illo descendat mediô Titiô, & Cajô, Paulus verò mediante Bertâ, & Annâ: applica ergo Regulam *N. priori* pro linea recta traditam, & videbis Petrum, & Paulum esse Ottoni consanguineos in tertio gradu: conclude igitur, etiam Petrum, & Paulum in eodē gradu esse inter se consanguineos, quia eo gradu, quô distant â communi stipite, distant inter se. Eâdem computandi methodô Titius, & Bertha sunt in secundo gradu. Ratio hujus Regulæ concordat cum superiori in illo fundamento, quòd consanguinitatem pariat generatio: cùm igitur Petrus non sit genitus â Paulo nec ê contra, sed ambo ultimatim ab Ottone, Petrus videlicet mediante Titio, & Cajo, Paulus autem mediante Berta, & Anna: ab illo tantùm habent suam consanguinitatem, nec habere possunt majorem, quàm cum illo habeant. Quocirca (si licet hanc Regulam ad Dialecticæ principium reducere) quemadmodum eâdem unitate, quâ aliquâ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, quia nimirum ratione tertij habent identitatem inter se: ita eodem gradu, quô aliqui sunt consanguinei uni tertio, sunt con-

ſanguinei inter ſe eô, quòd ratione tertij tantùm ſint conſanguinei inter ſe.

103. Tertia Regula pro linea transverſa inæquali eſt: *quô gradu diſtat remotior à communi ſtipite, eô gradu diſtat ab altero*; ſic in eodem exemplo manendo, Cajus genuit Titium, hic Petrum, & ultrà quoque pono, quòd Petrus genuit Andream: Anna verò ſoror Caij genuit Bertam, quæ aut naturali, aut voluntaria ſterilitate præpedita, nullam habuit ſobolem: hoc ita adſcribo.

Otto Pater, *ſeu* Stipes.

Gradus 1.	Cajus.	Anna. 1. *Gradus*
Gradus 2.	Titius.	Berta. 2. *Gradus*
Gradus 3.	Petrus.	
Gradus 4.	Andreas.	

Vides Andream eſſe remotiorem ab Ottone, quàm Bertam, & Annam: nam inter Andream, & Ottonem mediant Petrus, Titius, Cajus: inter Bertam verò, & Ottonẽ ſola Anna, & nihil inter hanc, & illum: ut ergo ſcias, quotô gradu diſtet Andreas à Berta, ſume Regulam *N.* 101. pro linea recta aſſignatam, & juxta eam numerando gradus inter Andreã,

&

& Ottonem (sunt enim hi duo in linea recta) reperies illum ab hoc distare quatuor gradibûs : infer ergo, Andream à Berta quoque distare quatuor gradibûs, immò etiam ab Anna, non obstante, quòd Berta duobûs, & Anna unô tantùm gradu distent ab Ottone : quia videlicet eo gradu unus distat ab alio, quo gradu remotior distat ab Ottone communi stipite. Ratio hujus Regulæ est, quòd si gradus propinquioris, & non remotioris personæ attendi deberet, tunc in hoc exemplo, cùm Anna ab Ottone non nisi uno gradu distet, utpote ejus filia, uno etiam gradu distaret ab Andrea, sícque ita propinquè conjuncta foret Andreæ, sicut Cajo, cui, tanquàm fratri, in primo gradu conjuncta est : jam autem ad oculum apparet, sororem esse propinquiorem suo fratri, quàm filio, Nepoti, aut Pronepoti ex fratre : non ergo ad personam communi stipiti propinquiorem, sed ad remotiorem attendendum est : & sicut Dialectica docet, conclusionem sequi debiliorem partem eô, quòd majus, & minus extremum non nisi probabiliter in conclusione uniri possint, dum unum ex illis probabiliter tantùm unitum est cum medio termino in una præmissarum : ita etiam cognatio sequitur remotiorem personam,

ſonam, quia nequeunt duæ perſonæ majori conſanguinitate jungi inter ſe, quàm remotior cõmuni ſtipiti, & ſi una remotè diſtat ab illo, remotè quoque diſtat ab altera.

104. Ex quo ſequitur, quòd, ſi Andreas etiam habeat filium, v.g Joannẽ, iſte poſſit ſine ulla diſpenſatione ducere vel Annam, vel Bertam, quia juxta Regulam mox traditam, in quinto tantùm gradu conſanguineus erit illis, in quo non ampliùs dirimitur matrimonium, ex dicendis *ſeq. §.* Sequitur item, in hac linea tranſverſa inæquali haberi illum gradum mixtum, in cujus intelligentia *multi* hallucinantur: etenim, quia collaterali*um* gradus computantur à cõmuni *ſtipite* tantùm, manifeſtum eſt, Bertam diſtare *in* ſecundo gradu ab Andrea, cùm hoc gradu diſtet ab Ottone: Andream verò à Berta *in* quarto gradu, cùm in hoc diſtet ab Ottone; proinde Andreas, & Berta ſunt in ſecundo, & quarto gradu conſanguinei, ſeu *in* gradu mixto.

105. Dum igitur occurrit quæſtio de conſanguinitate duorum, quorum unus alterum non genuit, ſive imediatè, ſive mediatè, mox inquire de uno illorum, à quo ſit genitus: dum Patrem audieris, adſcribe illum ſupra eum, de quo

quæris: ultrà interroga, â quo hic Pater fit genitus, & illum supra Patrem priùs notatum adscribe. Idem fac de altero, & utriusque antenatos semper adscribe ita, ut per ordinem unus illorum ponatur supra alterum, donec deveneris ad duos fratres, vel duas sorores, aut ad fratrem & sororem, qui sunt ab eodem Patre, vel Matre geniti, quem, vel quam superiùs adscribe. Hôc factô videbis, quòd eveniet una, vel altera forma ex exemplis suprà positis in explicatione Regularum, poterísque eô modô, quô â me factum vidisti, gradus numerare, & illorum duorum consanguinitatem, de quibus quæstio erat, concludere. Una quoque adverte, difficultatem, si quam in principio senseris, exercitatione repetita vinci

106. Porrò hæc computatio graduũ est conformiter ad Canones tradita, & in ordine ad matrimonium in omni Jure servanda. Computatio verò eorundem juxta Leges est quidem in linea recta eadẽ cum Canonica, sed in utraque transversali differt, ùt constat ex epistola Alexandri Papæ II. quæ refertur *c. ad Sedem Apostolicam 2. xxxv. q. 5.* in qua & computatio civilis allegatur, & ratio, ob quam hæc à Canonica diversificatur: nam §. 1. ita legitur. *In Legibus ob nihil aliud ipsorum*

rum graduum mentio facta est, nisi, ut hæreditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monstretur, usque ad quotam generationem à consanguineorum sit nuptijs abstinendum. Ibi præscribitur, ut hæreditas propinquis modò legitimò conferatur: hìc verò, ut ritè, & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur &c. Hac igitur de causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam: idcirco curavit sæcularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò nuptiæ sine duabus non valent fieri personis: ideo sacrì Canones duas in uno gradu constituêre personas. Et infrà §. 4. *duo gradus Legales unum gradum canonicum constituunt. Fratres itaque, qui secundum sæculares leges dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo &c.*

§. II.

Impedimentum cognationis naturalis.

107. OB reverentiam, & honorem, quem non compatitur actûs matrimonialis commixtio, nisi alia justa causa eundem cohonestet, semper interdictum erat matrimonium inter sangui-

ne junctos. Acceſſit & ratio politica dilatandi vinculi amicitiæ: quoniam enim *copulatio maris, & fœminæ, quantum attinet ad genus mortalium, quoddam ſeminarium eſt charitatis. can. cùm igitur xxxv. q. 1.* conſanguinei autem amicitiæ debitô aliunde ſibi invicē ex ſanguinis vinculo adſtringuntur, ampliùs dilatatur charitas, dum conjugium, inter conſanguineos vetitum, cum extraneis contrahitur. *Pater quippe, & ſocer (can. cit.) duarum ſunt neceſſitudinum nomina: dum ergo quis habet alium Patrem, alium Socerum, numeroſiùs ſe charitas porrigit.* Et infrà: *Eva utrique ſexui filiorum fuit & ſocrus, & Mater, quæ ſi duæ fœminæ fuiſſent, mater altera, & ſocrus altera, copioſiùs ſe ſocialis dilectio colligaret.* Unde etiam *amicitiæ per connubia protrahendæ mos Priſcis firmiſſimis habebatur.* teſte Dion. lib. 2. cujus moris efficaciam firmat exemplum fœderis occaſione conjugiorum inter Romanos, & Sabinas, de quo Lucan. *lib. 1.* canit.

Generos ſoceris mediæ junxêre Sabinæ.

Quia verò unitas ſanguinis, quò major, & magis diverſa, ac repetita per plures fit commixtio, eò ampliùs minuitur, ac tandem deficere, nec idem ſanguis permanere cenſetur: inde eſt, quòd conſanguinitas

nitas per omnes gradus non duret, ſed ad certos ſit limitata, in quibus cùm *eſſe deſiêrit*, *eam rurſus lex matrimonij vinculò repetit, & quodammodò revocat fugientem*, ùt dicitur *can. un. q. 4. cauſ cit.* dum videlicet per matrimonium cum illa, quæ in valdè remoto gradu diſtat, nova inchoatur conſanguinitatis ſeries.

108. In lege Moſaica in varijs gradibus tùm conſanguininitatis, tum affinitatis invalidum erat matrimonium, ùt legitur *Levit.* 18. ſed quia lex illa adveniente gratiâ finem ſumpſit: & aliàs *ſi quis dixerit* &c. *nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum* (gradibûs in Levitico prohibitîs) *diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit* ex Trident. *ſeſſ.* 24 *can.* 3. ad eos tantùm gradus attendendū eſt, qui aut ex natura ipſa (ſi qui ſunt, de quo paulò pòſt) aut ex ſtatuto Eccleſiæ matrimonium dirimunt. Olim ergo.

109. Cognationis impedimentum ad ſeptem uſque gradus protendebatur, ex varijs Canonibus *cauſ. cit q.* 3. Verùm ſub Innocentio III. *c. non debet* 8. *de conſang.* reſtrictum eſt ad quartum duntaxat gradum incluſivè. *Prohibitio copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis gradum non excedat.* Nec priorum Canonum culpanda eſt

revocatio: etenim, ùt ibi præmittitur, *non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana: præsertim cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.*

110. *Dubitas I.* An non in linea collaterali Jure naturæ dirimatur matrimonium? *Respondeo*, negari non posse magnam esse indecentiam copulari in primo gradu, quæ sine gravi necessitate, & præponderante ratione cohonestari nequit: unde Aristoteles solo naturæ lumine ductus turpissima inter fratrem, & sororem esse credidit conjugia 1. *Polit. c.* 2. Barbaræ quoque nationes id matrimonij genus exhorrescunt, nec nisi perversis legibûs regi dicuntur â Ss Patribus, quæ id admittunt. Notum est ex historia *Gen. c.* 12. Abram, dum timuit Ægyptijs fateri, Sarai, *quòd esset pulchra nimis*, esse uxorem suam, eam rogâsse: *dic, quòd soror mea sis*: suppositit utique, se illis sufficienter persuasurum, eam non esse uxorem, si crediderint esse sororem: unde postquàm Pharao reperit non esse sororem, conquestus erat: *quidnam est hoc, quod fecisti mihi? quare non indicasti, quòd*

uxor

uxor tua esset? Aulici quidem, dum Cambyses Rex Persarum, suæ sororis amore captus, interrogaret, num sibi per legem aliquam matrimonium cum ea liceret: nullam adesse legem, nisi hanc, quòd liceat Regi Persarum facere, quòd libet, respondérunt, ùt refert Hermes in *Fasciculo Juris publici. c.* 11. *n.* 84. ex Herodot. quâ sententiâ animatus, duxit unam ex sororibus, & paulò pòst alteram. Sed nimis assentatorium erat responsum: nec etiam Cambyses solicitus erat de consensu Judicum, nisi quia ab ipso naturæ lumine monebatur, per conjugium cum sorore se rem insolitam, & parùm honestã attentaturum.

Ad hanc naturalem honestatem, & pudorem non videtur attendisse quoque Cimon, Miltiadæ clarissimi Græcorum filius, dum interrogantibus, cur Elpinicen germanam suam duceret? reposuit: Mea soror & pulchra, & prudens, & dives, & genere mihi æqualis, & à communi Patre meæ fidei concredita est: optimum ergo factu putavi, si, quam natura mihi pro sorore dederat, ultrò uxorem ducerem. Verùm quia, ùt ait Livius *l.* 38. *res potiùs, quam auctores spectandæ sunt*: in probandis hisce connubijs illa ipsa, an rationali verecundiæ consona sint, con-

siderari debent, cùm prudentes cæterà homines ad ea quandoque, sive passione, sive aliô motivô præoccupatos, deduci legimus, & experimur, quæ cum sana mente componi nequeunt. Athenienses, qui de sapientia laudantur, sanxêre, ùt refert D. Hieron. *ad Rusticum Monachum* ex Plinio) legitimum cēseri matrinium, si fratri soror nuberet, cùm inter æquales matrimoniū celebretur: *illicitum* verò, si Neptis Patruo, hoc enim perinde esse, àc si Patri nuberet filia, cùm tamen ratio illud potius prohibeat matrimoniū, tanquàm in propinquiori gradu contractum.

111. At cùm non sit bona consequentia ex eo, quòd aliquid sit illicitum, deducere, illud quoque esse invalidum: quàmvis Philosophicam involvat indecentiam, sororem accipere in uxorem, & Theologicam, dum id lege prohibetur, censeo nihilominus cum Mastrio 4. *disp.* 7. *n.* 46. & alijs ab eo relatîs, tale matrimonium Jure naturæ invalidum non esse, quam sententiam Caramuel *Theolog. fundament. l.* 3. *n.* 3763. dicit veram, & omninò tenendam: cùm nulla lex naturæ irritans adduci possit, indecentia autem naturalis non nisi illicitum inferat conjugium. Quapropter S. Aug. 15. *de Civit.*

DEI

DEI c. 16. & refertur *c. cùm igitur caus. 31. q.* 1. apertè dicit: ob neceſſitatem in exordio mundi hoc matrimonium fuiſſe permiſſum, quod *profectò quantò eſt antiquius compellente neceſſitate, tantò poſteà factum eſt damnabilius Religione prohibente:* & paulò pòſt dicit. *quòd humano genere creſcente, & multiplicatò, etiam inter impios DEorum multorum, falſorúmque cultores ſic obſervari cernimus, ut, etiamſi perverſis legibûs permittantur fratrum conjugia, melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam: & cùm ſorores accipere in matrimonium primîs humani generis temporibûs omninò licuerit, ſic averſetur, quaſi licere nunquàm potuerit.* Ex quibus colligitur, hoc conjugium in lege naturæ valuiſſe, & quidem abſque diſpenſatione, *quoniam nondum leges erant, quæ talia connubia abrogarent,* ait S. Hieronymus *in quæſt. ſuper Geneſ.* poſtmodum autem Religione prohibente, Moſaicâ primùm, deinde Catholicâ, omni vigore deſtituta erant: & licèt ea lex apud multas gentes non vigeat, vim tamen illius conſuetudo, ab his matrimonijs abſtinendi, quaſi univerſim recepta, ſupplet.

112. *Exinde* ſequitur *I.* Pontificem poſſe, abſolutè loquendo, diſpenſare in hoc gradu, quod etiam Caramuel, ſe ipſo

teſtante *l. c. n* 2760. Lovanij in promotione ad Lauream publicè propugnaverat: quàmquàm non legatur ea poteſtate unquam uſum fuiſſe, fortaſſis nec, ut unquam uteretur, expediat, non enim omnia expediunt, quæ licent. Tùm quia plauſibilis eſt ſententia Sanchez *l. 7. diſp.* 52. & quàmplurium aliorum, volentium illum gradum Jure naturæ infirmare matrimonium. Refert quidem Sylveſter ex Archi-Diacono, Martinum V. diſpenſâſſe cum eo, qui cum ſua germana contraxerat, & conſumaverat: ſed quia alij negant, Archi Diaconum id recenſere, factum hoc dubiæ fidei redditur.

113. *II.* Cùm Infideles non ſtringantur legibûs Eccleſiæ, eos, qui ad fidem, & Baptiſma ſuſcipiendum convertuntur, non eſſe ſeparandos, quàmvis tempore Ethniciſmi in primo gradu lineæ tranſverſæ copulati fuiſſent, niſi id matrimonium aliàs apud ipſos per ſpecialem legem, vel conſuetudinem invalidum foret, ùt expreſsè docet P. A Breno *in Manuali Miſſionarior. l. 3. c. 5. q. 13. n. 7. & ſeqq.* Legitur quidem *c. gaudemus. de Divort.* Innocentium III. hoc declarâſſe quoad eos Infideles, qui in 2. aut 3. gradu contraxerunt, ùt ſcilicet *liberè poſſint, & licitè manere conjuncti, cùm per Sacramentum Bap-*

Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur. Ex hoc tamen non licet inferre, aliud eſſe ſentiendum de conſanguineis in primo gradu, ex eo, quòd Papa reſponderit tantùm ad quæſitùm, ſibi â Tiberiad: Epiſcopo motum de ijs, qui in 2. aut 3. gradu ſe attinebant, nihil ſtatuens de ijs, qui primo gradu junguntur, quod etiam quidam ex AA. candidè fatentur.

114. *III.* A fortiori non niſi Jure poſitivo humano irritum eſt matrimonium in 2. & ulterioribus gradibus lineæ obliquæ, ùt deciſum eſt *c. mox citatò.* Exſtant quoque exempla hujus matrimonij in ſac. Paginis. *Gen. c.* 11. Nachor duxit Melcham fratris filiam: & Abrahã Sarai, quæ quidem ſoror illius coram Ægytijs appellata fuit, ùt *N* 110. viſum: ſed *ſoror dicitur, quia filia fratris erat. c. quæritur. xxii. q.* 2. unde in hoc gradu diſpenſari poſſe, docetur â Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 5. *In ſecundo gradu nunquàm diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*: quam publicam cauſam Fidei conſiderans Eccleſia, ne hetherodoxi, qui in 2. aut ulteriori gradu conjugati vivunt, à converſione retrahantur, ſi juxta diſciplinam orthodoxam â conjugibus, quas difficulter relinquunt, ſperarentur:

Præ-

Præfectis Missionum, Episcopis, ac Vicarijs Apostolicis facultatem tribuit, cum ijs, qui ad fidem convertuntur, dispensandi in quocunque consanguinitatis, & affinitatis gradu sive simplici, sive mixto lineæ transversæ, dummodò primum non attingat.

115. *Dubitas II.* An idem de primo gradu lineæ rectæ dicendum? *Respondeo.* Cùm gravem indecẽtiam dicat matrimonium cum sorore, multò graviorem dicit filij cum matre, aut filiæ cum patre. Quid cum honore, & reverentia, quam vi Decalogi filij Parentibus debent, si ex matrimoniali copula una caro effecti, ad æqualitatem quandam reducerentur, omni paterna superioritate exstincta? ubi honestas illa, respectus, & observantia, dum turpitudo illorum mutuò revelaretur? Nefandus profectò foret talis concubitus, nec fieret, ùt ait Ovid. *lib.* 7. *Metamorph. nisi sævarum more ferarum*, quarum nec omnes illum admittunt, notante Plinio *lib.* 8. *natur. historiæ c.* 42. Soliti erant Cimbri, filias ex se genitas, ducere, sed hanc consuetudinem, tanquàm naturæ adversam, Marius Consul, postquàm de illis, in Germania victis, triumphum Romæ egerat, penitùs sustulit: *contra pudorem* namque est, *filiam*

um in uxorem ſuam ducere. L. adoptivus 14. §. 2. ff. de ritu nuptiar.

Atque hæc perpendens P. Marchant. *Tribun. Sacram. tom. 3. p. 3. tract. 1. tit. 5. q. 1.* ſatis mirari nequit, aliquos cùm Sanchez *cit. diſp. 51. n. 10.* ad tam incongruas ſpeculationes deveniſſe, ut ſpeculativè probabilitatem aliquam (in caſu, quò defeciſſet totum genus humanum) conjunctioni huic nefandæ matrimonij legitimi tribuerint: quandoquidem etiã filiæ Loth, quàmvis crediderint, omne virorum genus perijſſe, nequaquàm tamen arbitrabantur, Patrem ſecum ad ſuſcitandum ſemen, & ſervandum genus humanum concubiturum, niſi ratione illius, per vinum obnubilatâ, ad id inducatur: dixit ergo una ad alteram. *Pater noſter Senex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos juxtæ morem univerſæ Terræ. Veni! inebriemus tum vinô, dormiamúſque tum eo, ut ſervare poſſimus ex Patre noſtro ſemen. Gen. 19. 31.*

116. His non obſtantibûs, DD. non mediocris notæ, paſſim videndi, præſertim apud Sanchez *cit.* nolunt, hoc matrimonium Jure naturæ invalidari eô, quòd ſubſtantiæ, & fini intrinſeco conjugij non repugnet conjunctio Patris cum filia; nec clarè ex naturæ principijs

hæc

hæc nullitas deduci queat, ob quod Caram. *l. c. n.* 3761. fatetur, se semper credidisse, talia matrimonia ex natura rei non esse irrita, & se oppositam sententiam cum admiratione suspicere. At illa multum invaluit, quam etiam Scotus 4. *d.* 40. *q. un.* deducit ex verbo Adæ *Gen.* 2. *Relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ:* hoc enim, ante omnem legem positivam dictum, supponit aliam â Matre debere esse uxorem.

117. Si incertum est, Jure naturæ dirimi connubia in primo gradu lineæ rectæ, quantò minùs certum erit de alijs gradibus ejusdem lineæ, cùm non tantum obligetur neptis avo, nec tantam illi reverentiam teneatur, quantum filia patri, â cujus sanguine immediatè descendit, & quasi pars illius esse censetur. Inde est, quòd P. A Breno *cit.* quàmvis defendat, matrimonium Avi cum nepte esse â natura nullum, *n.* 19. tamen, & *n.* 29. concedit cum Sanchez *cit. n.* 21. demptô primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, matrimonia Infidelium, si aliter fieri nequeat ob nimiam difficultatem separationis, aliásque circumstantias cohonestantes, (modò consuetudo sit apud eos ita contrahendi) in conversione ad fidem salvificam dissolvi non debere.

Deni-

118. Denique quoad alios ulteriores gradus lineæ rectæ communior sententia vult, illos in infinitum dirimere matrimonium: cùm omnes Ascendentes habeant rationem Principij respectu descendentium quorumcunque, tanquàm eorum Parentes, ùt etiã leges agnoscunt: *Appellatione Parentis non tantùm Pater, sed etiam Avus, & Proavus, & deinceps* NB.) *omnes superiores continentur. l. appellatione ff. de V. S.* Propterea etiam omnes illi in infinitum â ferendo testimonio pro Descendentibus repelluntur in causis non exceptis, ùt Juristæ advertũt. Nec hoc correctum est per *c. non debet. suprà N.* 109. relatum, in quo cognatio lineæ transversæ tantùm ad quartum gradum reducitur. Non nego quidem illam unitatem sanguinis per tam multiplices commixtiones plenè enervari, & totaliter extingui per ea, quæ dixi *N.* 107. Attamen, quia hoc non obstante, in morali æstimatione, quæ in Legibus, & Canone fundatur, quicunque Descendentes respectu Ascendentium nomine filiorum veniunt: judico, quidquid dicant aliqui cum Sanchez *cit.* impedimentum hujus lineæ æquè modò, ac priùs in infinitum protendi. Hinc Adam, si resurgeret, nullam ex fœminis ducere posset, quia *Jure*

Gen-

Gentium inceſtum committit, qui in gradu aſcendentium, & deſcendentium uxorem dücit. L. fin. de Ritu Nuptiar.

Fateor nihilominus, ſpeculativam potiùs eſſe hanc controverſiam. Brevitas humanæ vitæ perquàm rarò concedit, videre deſcendentes in quinto, minùs in vlterioribus gradibus: dúmque etiam hæc felicitas alicui contingit, ſi non unitas ſanguinis, exceſſus tamen ætatis non admittit, ut Atavus Atneptem (ita in quinto, & ſexto gradu diſtantes vocantur. *c. primus gradus. xxxv. q. 5.*) aut Tritavus ducat Trineptem.

§. III.

Reſolvitur caſus de Cognatione naturali.

BErtæ, *quam ſibi deſponſaverat, maritali jure cohabitat Lentulus, ſed quia ſuboritur illi dubium (dum Antenatos uxoris attentiùs conſiderat) de cognatione aliqua, ſe inter, & illã intercedente, accedit conſãguineos, rei veritatẽ ampliùs exploraturus, qui dũ in utriuſque Majores ſolicitè inquirũt, evidenter concludunt, Lentulum eſſe ex magno Bertæ Avunculo Pronepotem, Bertam verò Promateriæ illius Neptim. Exponit hæc Lentulus Titio, & Titius pro remedio diſpenſationis ad Datariam Papalem ſuppli-*

plicem mittit, *in quo hæc duntaxat exprimit*: Oratores esse in quarto gradu consanguineos (*nam in hoc gradu Lentulus distat à Berta*) bona fide contraxisse, & quia matrimonium per multiplicatam copulam consummatum est, difficulter, nec sine gravi incommodo, & damno separari posse. *Obtentam gratiam Officialis Episcopi, cui juxta solitum stylum inscripta erat, alijs Diœceseos implicatus negotijs, mox exequi nequit. Verùm quia gravis Oratoribus visa est mora longior, delegat Notarium suum, qui apertô Rescriptô, & facta de rei veritate inquisitione, omnia refert Officiali, à quo etiam observatis Rescripti clausulis, dispensatio executioni data erat &c.* Súntne omnia benè facta?

119. *Respondeo.* Plura in hac specie facti intercurrisse, quorum quædam approbanda videntur, alia reprobanda. *I.* Ante omnia advertendum venit circa usum matrimonij: Etenim si Lentulus prudens concepit dubium de consanguinitate cum uxore sua, obligatur quidem exinde ad ulteriùs inquirendam veritatem, aut certitudinem: interim tamen ab usu matrimonij non impeditur, sed licitè debitum reddit uxori, dum illa in bona fide perseverat, nec de consanguinitate dubitat. Ratio est;

quia uxor in debito exigendo ex possessione matrimonij, bona fide contracti, & continuati, defenditur. Dubitatem ipsum nihilominus privat jure petendi: nam omne dubium suspendit determinationem judicij, & dictamen conscientiæ, aliquid sibi licere, & dum tale judicium practicum formari potest, cessat eô ipsô dubium: cùm igitur cessare nequeat, donec per inquisitionem factam non illucescat veritas, aut moralis certitudo, tanto tempore nequit dubitans petere debitum. Aliud est de dubio, ex levibus motivis conceptô, quod utique vilipendi, & explodi debet de consilio Episcopi, vel Confessarij: *& quidem ad sui Pastoris consilium conscientia levis, & temerariæ credulitatis* (si v. g. quidam non solidæ fidei asserat impedimentum consanguinitatis &c.) *explosâ licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. c. inquisitioni 44. de sentent excommunic.* quemadmodum etiam, si facta inquisitione moralis saltem certitudo de existentia consanguinitatis non appareat, ùt *Omnes* in ejusmodi casibus advertunt. Porrò illud de reddendo debito intelligo, ùt dixi, in supposito, quòd altera conjux bona fide utatur: si enim & illa rationabiliter dubitet de impedimento, similiter non

non audet petere, sícque nec alter reddere; quia negato jure petendi non est licitum reddere in similibus

120. *II.* Benè factum est, quòd consanguinei fuerint interrogati: *quoniam unusquisque suam Genealogiam cùm testibus, & chartis, tum etiam ex recitatione majorum scire laborat. c. videtur 3. qui matrim. accusare*, & propterea consanguinei, etiam in judicio, tanquàm testes hac in causa admittuntur. *cit. c.* & *c. ixxxv. q. 6.* unde non est, cur Lentulus illos interrogare, & dictis illorum credere non deberet, dum jurejurando, se verum dicere affirmaverint, *c. notificamus. cauf. & q. cit.* cùm ita testantes etiam in Judicio fidem habeant. Quia ergo adinventa est consanguinitas, conjuges ab usu conjugij, etiam tactibûs illis, quæ solutis vetita sunt, se continere debent; immò à cohabitatione quoque, si periculum proximum (quod *vix* unquam abesse potest à conjugibus juvenibus, & vèl maximè carnali congressui jam assuetis) similia attẽtandi id jubeat, soluti enim sunt ob nullitatem matrimonii, & ideo nullus adest titulus, qui aliquid eorũ cohonestaret.

121. *III.* Supplicem debuisse mitti ad Datariam eô, quòd impedimentum consanguinitatis in casu hoc æstimandum

sit publicum: tametsi enim non publicū, *sed occultum dicitur, quod quinque sciunt*, ùt notant DD. ex Glossa recepta *in c. manifesta II. q.* 1. in aliquo Collegio, aut Vicina, vel Párochia, cujus communitas ex decem saltem hominibûs constituitur: hìc autem fors nec quinque consanguinei aderant, qui in consanguinitatem inquisiêrunt. Accedente nihilominus periculo ulterioris propalationis pauciores etiam sufficiunt ad faciendum impedimentum publicum, dum nimirum *illud* probare possunt, unà quoque timetur, ne illud divulgent, prout in proposito, cùm non vereamur consanguinitatem edicere aliquorum, quæ nullam infamiam generat.

Dixi autem: *ad Datariam*; hæc siquidem (quæ etiam appellatur *Officium minoris gratiæ*) est tribunal, quod in foro externo pro dispensatione super quarto gradu simplici, aut tertio, & quarto mixto pulsari debet. Alioquin pro tertio simplici, aut secundo, & tertio mixto ad *Cancellariam*: pro secundo autem, aut primo, & secundo, vel primo, & tertio, vel primo, & quarto mixtîs, aut denique primo gradu affinitatis recurrendum est ad *Præfecturam Brevium*, ubi fiunt expeditiones sub annulo Piscatoris.

122.

122. *IV.* In ſupplci Libello debuit exprimi, Lentulum, & Bertam bona fide contraxiſſe; qui enim ſcienter, ſeu mala fide contrahunt (intelligo malam fidem ex parte utriuſque conjugis) haud, aut vix ſpem diſpenſationis habere poſſunt. Non tamen neceſſarium videtur exprimere, matrimonium eſſe conſummatum, niſi in ordine ad diſpenſationem facilius impetrandam, cùm ad ſimpliciter diſpenſandum ſufficiat, matrimonium eſſe cum ignorantiâ impedimenti bona fide contractum. Planè autem ſuperfluum erat apponere, copulam conjugalem fuiſſe aliquoties repetitam ad quid enim?

123 *V.* Ultra hæc debuiſſet quoque exprimi tertius gradus, quô Berta eſt juncta Lentulo; quàm vis enim verum ſit, in gradu mixto attendi remotiorem tantùm gradum, qualis in caſu noſtro eſt quartus; unde ſi in foro interno petatur diſpenſatio, ſufficit illum in ſupplici exprimere. Pro foro tamen externo omnimodè requiritur propinquioris mentio, non quidem ex hoc fine, quia diſpenſatio etiam pro hoc gradu eſt neceſſaria, ſed ut declaretur in litteris diſpenſationis, *gradum propinquiorem non obſtare.* Hócque indubium reddidit Pius V in ſua conſtit. *Sanctiſſimus in Chriſto.* 26. *Aug.* 1566. ibi.

quòd de cætero: (in quibuſcunque diſpenſationibus ac litteris, commiſſionibúsque deſuper, etiam Locorum Ordinarijs faciendis) *gradus remotior attendatur, trahátque ſecum propinquiorem, ac ob id ſufficiat, remotiorem tantùm gradum exprimeret: obtentîs tamen poſtea* (NB.) *ſuper propinquiore Litterîs declaratorijs &c.*

124. *VI.* Potuit quidem Officialis Notarium ſubdelegare ad capiendam informationem de rei veritate, ut videlicet examinet ipſos Oratores, teſtes &c. ad videndum, an omnia ſint vera, quæ erant in ſupplici libello expoſita, & repetita ſunt in Litteris diſpenſationis: hæc enim ſapiunt meram Jurisdictionem, quàm Officialis, licèt in propoſito ſit delegatus, ſubdelegare tamen poteſt, tanquàm Delegatus Principis ex *communi* doctrina. Nequaquàm tamen committere potuit Notario, aut alteri ipſum Officium diſpenſandi, ſed diſpenſationem ille ipſe, ad quem Litteræ directæ ſunt, exequi debet eô, quòd executio ſit nudum miniſterium, in quo Delegatus alterum ſubdelegare nequit. *c. ult. de Offic. Delegat.* Cæterùm non videtur neceſſaria informatio de rei veritate per proceſſum, & examen teſtium in forma judiciali, & in ſcriptis: ſed ſatis eſt, ſi Executor ſe extrajudicialiter

liter informet, & deinde comperta rei veritate verbaliter dispenset. Clericatus *in Discord. forensib. civilib. Discordiâ* 51. *n.* 6. *&* 7. post alios *citt.* allegans etiam ex Garzia decisionem Rotæ *in una Mediolanens. matrimonij* die 17. Junij 1602. Vide amplius dicenda *N.* 239. Item *discordiâ* 49. *n.* 4. *& seqq.* docet Juramentum de rei veritate, dum id in Rescripto exigitur, posse à partibus sumi extrajudicialiter eô, quòd id requiratur pro ipsius Executoris informatione duntaxat.

125 *VII.* Dispensatio ab Officiali facta nulla erat ob rationem *suprà* allatã, quòd scilicet non fuerit facta mentio in Supplici gradûs propinquioris, in quo Berta juncta erat Lentulo: siquidem ex pressio hujus, & desuper facta declaratio, *illum non obstare*, non tantùm est necessaria, ut dispensatio licitè executioni detur, sed etiam, ut validè: unde gratiâ dispensationis *à S. Sede* facta est quidem valida, inquantùm non laborat sub-vel obreptionis vitiô, etsi subticitus fuerit gradus propinquior, ùt declaravit Pius V. in Constitutione *cit.* At nemo illam validè executioni dare potest, quidquid dicat Sanchez *l* 8. *d.* 24. *n.* 29. & alij, qui attendendi amplius non sunt, postquàm & Urbanus VIII. 1. Novemb. 1624. di-

ſpenſationem ſimilem ex hoc tantùm capite declaravit invalidam, & matrimonium ob eam revalidatũ eſſe inceſtuoſum, quòd non fuerint priùs petitæ, & obtentæ litteræ declaratoriæ, *ſecundum gradũ non obſtare:* & Innocentius X. idem declaravit, quòd tertius gradus non fuerit expreſſus, nec declaratio, illum non obſtare, petita, & obtenta. Utrumque autem Breve, ſicut & conſtitutionem Pij V. per extenſum adducit P. Reiffenſt. *in Appendice ad 4. Decretal. n. n.* 167. 173. & 174. Quocirca cùm Officialis compererit Lentulum, & Bertam non tantùm quartô, ſed etiam tertio gradu ſe invicem attinere, nec tamen tertium gradum fuiſſe expreſſum, debuit iterum Romam recurrere, ſupplicando, ut per Breve aliud gratioſè declaretur, *tertium gradum non obſtare*, & hôc obtentô primùm diſpenſare. Quod quia non eſt factum, manet matrimonium nullum, donec S. Sedi hic error exponatur, & preces pro nova diſpenſatione porrigantur.

Adverte autem, hæc intelligenda eſſe, dum gradus propinquior non eſt primus, ſed ſecundus, aut tertius: ſi namque eſt primus, neceſſaria eſt non jam declaratio, *illum non obſtare*, ſed diſpenſatio propria, cùm Paulus V. in *cit.* Conſtitutione

ne hunc gradum singulariter excipiat: *dumodo primum quòquò modo non attingat: cùm in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat*, nisi id specialiter petita exprimat: unde non facta mentione primi gradûs, ipsa gratia dispensationis in se erit subreptitia, & nulla. Et hoc, quantùm ad primum gradum, verificatur etiam in dispensationibus à Sac. Pœnitentiaria pro foro interno procuratîs.

ARTICULUS III.

De cognatione Legali.

§. I.

Explicatio, & Impedimentum Cognationis Legalis.

ADoptio est actus legitimus, per quẽ fit filius, vel nepos, qui non est per naturam filius, vel nepos, licèt sit consanguineus, ùt Juristæ, & Theologi colligunt ex §. *Adoptio Inst. de Adop.* Quemadmodum enim ars imitatur naturam, & quandoque supplet defectum illius: ita Leges, volentes eos, qui per naturam orbati sunt Descendentibûs, consolari, admittunt, ut in locum Liberorum alios subrogare valeant, & Familiæ suæ, tam-

quàm veros filios aggregare: quò factò defectus naturæ artificiosè quodammodò suppletur, etiam abundantiùs quandoque, & meliùs, ùt Constat de Vespasiano, & Nerva Imperatoribus, quorum primus habuit quidem filium Domitianum, sed quia omnis pravitatis epitome erat, infelicior dicitur Nervâ, qui omni prole destitutus, Trajanũ omnis probitatis speculum, ùt adoptivum tenuit filium; ut verum sit, quod cecinit Statius.

Vidi ego transfertos alieno in robore ramos
altiùs ire suis

Sed &, Christum Dominum specie quadam adoptionis usum fuisse, legimus, dum in cruce moriens, Joannem sui locò B. Virgini commendavit in filium, & Illam Joanni in Matrem: *& ex illa hora accepit Eam Discipulus in sua* Joan. 19. 26.

127. Duplex est adoptio; una perfecta, quæ etiam *arrogatio*, vel *adrogatio* dicitur: altera imperfecta, seu absolutè dicta *adoptio*. §. *cit. adopt.* & *L.* 7 *tit.* 7. *par.* 4. utraque in hoc convenit, quòd adoptans debeat esse masculus, ex natura sua potens ad generandum, 18. annis senior adoptatò, & major 25. annorum, vel etiam, ùt arbitror, 22. annorum, si quis in hac ætate ex statuto alicujus Patriæ, aut dispensatione Principis fiat Majorennis,

&

& administrationem suorum bonorum acquirat. Hinc fœmina adoptare nequit, nisi ex speciali privilegio Principis: nec ex natura frigidi, nec spadones: benè verò castrati, & Sacerdotes, quia illi ex accidente tantùm superveniente, hi verò ex virtute Religionis generare non possunt. Conveniunt denique in hoc illæ adoptiones, quòd utrâque adoptati succedant adoptanti, ab intestato decedenti.

Differunt autem, quòd per arrogationem adoptatus transeat in potestatem arrogantis: & ob id arrogatus debet esse sui Juris, aliàs si foret in alterius potestate constitutus, non posset arrogantis potestati subjici: & quia per adoptionem simplicem adoptatus non subditur potestati adoptantis, poterit adoptari etiam ille, qui sui juris non est. Item arrogatus fit hæres necessarius arrogantis ex testamento in quarta Bonorum parte: non adoptatus. Item arrogatio requirit authoritatem, seu Rescriptum Principis, à quo & arrogans, & arrogatus interrogandi sunt, utrùm in arrogationem reverà consentiant: ad adoptionem verò sufficit auctoritas inferioris Judicis, v. g. Magistratûs, merum, & mixtum imperium habentis: nec est necessaria illa expressa interrogatio, dummodò

modò alioquin constet de voluntate adoptati, & adoptantis. Et hæc omnia desumuntur ex varijs §§. *cit. Inst. de Adopt.* de quibus amplius consule Legistas.

128. Ad imitationem quandam cognationis naturalis voluerunt Leges etiam ex adoptione exsurgere cognationẽ, quæ propterea etiam *Legalis* dicitur, *inducens impedimentum dirimens matrimonij contrahendi*, ùt patebit. Solæ quidem Leges non sufficerent ad dirimendum matrimonium, cùm id authoritatis apud fideles Ecclesiæ tantùm competat: sufficiunt tamen, quatenùs sunt ab Ecclesia quoad propositum continua praxi, & consuetudine approbatæ, & canonizatæ: quas etiam Nicolaus Papa venerandas nominat *c. Ita diligere. xxx. q. 3.* ubi cognationem spiritualem ex naturali, & Legali firmare nititur: *Unde inter eos* (spiritualiter cognatos) *non arbitramur posse fieri quodlibet legale conjugium: quandoquidem nec inter eos, qui naturâ, & eos, qui adoptione filij sunt, venerandæ Romanæ Leges matrimonia contrahi permittunt.* In Decretalibus quoque indistinctè, & sine ulla limitatione ponitur titulus: *De cognatione Legali*, id est ex Legibus ortâ, quæ nullibi reperiũtur esse cor-

correctæ, aut restrictæ. His itaque Legibus insistendo.

120. *Quæres I.* An ex utraque adoptione *N.* 127. insinuatâ consurgat cognatio Legalis, dirimens matrimonium? *Respondeo:* multos quidem sat probabiliter affirmare cum Glossa in *c. un. de cognat. legali*, eô, quòd Jura sine distinctione de adoptione loquantur: dum autem Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus *per vulgaria.* Scotistæ se insuper in Scoto fundant 4 *d.* 42. *q. un.* Verùm quia Scotus nihil expressè decidit, sed mentem Glossæ *cit.* duntaxat adducit: aliàs etiam impedimenta, tanquam odiosa, strictam interpretationem subeunt: cum Engel. 4. *tit.* 12. *n.* 3. Pirhing *ibid.* §. 2. Sanchez *l.* 2. *d.* 63. *n.* 9. Sporer *de matrim. n.* 85. & alijs hoc impedimentum probabilius intelligo de adoptione tantùm, quæ *arrogatio* nuncupatur: Tùm quia cognatio legalis introducta est ob similitudinem, quam cum naturalibus habent filij adoptivi: cùm igitur hæc similitudo non nisi in arrogatis verificetur, qui tantùm familiæ arrogantis aggregantur, & illius subduntur potestati, licèt non ex verbis Legum, ex fine tamen sufficienter deducitur, eas hoc impedimentum de arrogatione intellexisse.

130.

130. *Quæres II.* Inter quas personas versatur hoc impedimentum cognationis legalis? *Respondeo:* hic adesse quandam analogiam ad cognationem naturalem quantùm ad lineas, & ad affinitatem. Quapropter singillatim loquendo.

I. In linea recta versatur inter adoptantem, tanquàm Patrem ex una, & adoptatum, hujúsque *Descendentes*, sub potestate adoptati existentes, tanquàm filium, & Nepotes ex altera parte. §. 1. *Inst. de Nuptijs*, & *L.* 15. *ff. de Adop.* ubi statuitur, eos descendentes cum adoptato censeri simul adoptatos; quos tempore adoptionis sub sua habet potestate: ita namque unà cum adoptato in adoptantis transeunt potestatem, ùt advertit Sanchez *cit. n.* 34. Quare si Paulus adoptet Cajam, Cajæ filiam ducere poterit: cùm enim Caja non gaudeat patria potestate in filiam. §. *fœminæ Inst. cit.* hæc per adoptionem Cajæ non transit in potestatem Pauli. Idem est de filiabus Petri, si sint emancipatæ, dum Petrus adoptaretur à Paulo. Et hæc cognatio, quæ dicitur *Paternitas Legalis*, durat in perpetuum, nec cessat soluta adoptione: *Eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel Neptis esse cœperit, non poteris uxorem ducere; quàmvis eam emancipaveris l. c.* non obstante

stante solutione adoptionis, quæ fit per emancipationem.

131. *II.* In linea transversa inter filios legitimos adoptantis, qui adhuc sub illius patria potestate vivunt, & inter adoptatum ipsum tantùm, non autem fratres, aut sorores hujus. Hæc cognatio est *Fraternitas Legalis*, & durat durante solummodò adoptione: *si quæ per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt. c. un. de cognat. legali.* Concordat *L. 22. ff. De Ritu Nuptiar. Eam, quam Pater meus adoptavit, & emancipavit, potero uxorem habere, æquè, & si me emancipatô illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimoniô.* Additur quoque modus, non obstante adoptione deveniendi in matrimonium: *Itaque volenti Generum adoptare, suadetur ut filiam emancipet. Similiter suadetur ei, qui velit Nurum adoptare, ut emancipet filium:* & refertur in Decreto, tamquàm Palea *c. 6. xxx. q. 3.*

Dixi autem: *inter filios naturales legitimos*: filij siquidem illegitimi adoptantis, cùm non sint in potestate illius §. *si adversus 12. Inst. de Nupt.* ex communi, & receptâ sententiâ non fiunt cognati Legales cum adoptato.

Sed

Sed quid, si quis adoptet plures, Titium v. g. & Annam, sùntne isti impediti â conjugio invicem, tamquàm frater, & soror legales? *Respondeo*: In hoc quoque casu prævalere sententiam negãtem ex solido fundamento, quòd Jus hoc impedimentum non exprimat. Fatigantur quidem aliqui ad sciendum, ob quam rationem Leges hunc casum omiserint. Ast cum Caramuele *Theolog. fundam. l. 3. n.* 378. sufficit scire, quòd Jura illum non respexerint: â ratione autem malè deducitur aliquod impedimentum, quia legibûs tantùm regimur in statuendis impedimentis.

132. *III.* Ad modum denique cujusdam affinitatis legalis tangit hoc impedimentum adoptatum, & uxorem adoptantis, tamquàm filium legalem, & novercam: *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ Patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia Novercæ locum habet. L.* 14. *ff de rit. nupt.* & viciſſim adoptantem, & uxorem adoptati, tanquàm Patrem legalem, & nurum ejus. *Ibid.* Notandum autem est in Lege *cit.* illud: *adoptivus filius si emancipetur*: cùm enim per emancipationem cesset adoptatio, si ea non obstante perseverat impedimen-

mentum, clarum est, illud in hoc genere esse perpetuum: sicut in linea recta.

Dum igitur dubiũ aliquando emerserit de legali aliquorum cognatione, per consequens de impedimento inde ortô: attende imprimis, an adoptio tantùm, vel arrogatio intercedat, quòd si te latuerit, accede Legistas, quorum est exactè has duas species distinguere. Si testati fuerint, veram adesse arrogationem, confer illos cum personis, per *præcedentes tres NN.* adductis, & explicatis, & siquidem repereris illos cum aliquibus convenire, facile tibi erit concludere cognationem legalem, secus judicabis eos omninò liberos.

§. II.

Resolvitur casus de Cognatione Legali.

ORmillus *mortua consorte, quæ liberos illi reliquerat, ducit Libitinam, quæ pariter ex priori matrimonio aliquarum prolium mater facta fuit. Ut utriusque matrimonij Liberi in Bonis sine distinctione succedere possent, usitatam in Germania Unionem prolium* (Kindschafft / oder Erb-Verbrüderung) *requisitis ad eam solennitatibus ineunt.* Súntne propterea ex cogna-

tione aliqua inhabiles ad matrimonium, si quod invicem contrahere vellent?

133. *Respondeo.* Si liberi utriusque verè sint adoptati, utique non subsisteret matrimonium inter illos ratione fraternitatis legalis *N.* 131. explanatæ; liberi enim Ormilli fierent filij Libitinæ, per consequens fratres, & sorores liberorum Libitinæ, & è contra: unde si quæ Ormili filia aspiraret conjugium cum aliquo Libitinæ filio, necessarium esset, ut aut suam filiam Ormillus, aut suum filium Libitina emanciparet, prout ipsum Jus *l. c.* instruit: vel Libitina emanciparet filiam Ormilli, ne sit ampliùs filia illius adoptiva, vel tandem Ormillus filium Libitinæ; cessante namque adoptione per emancipationem, aut aliam viam, *in* Jure civili fundatam, cessat quoque Legalis fraternitas, ùt *ibidem* dictum.

134. Dixi, *si verè sint arrogati*: id enim ex mente, & intentione Parentum arrogantiũ patere debet: ex voluntate item liberorum arrogatorum, ùt deducitur ex dictis *N.* 127. an scilicet liberi reverà voluerint in filios adoptivos arrogari; Parentes verò illos adrogare. Cæterùm autem, tametsi adhibuerint solennitates illas, quæ de Jure arrogationi præscribuntur, nisi tamen expressè de dicta voluntate

tate constet, non est arguenda cognatio legalis: in Germania siquidem etiam ad meram Unionem prolium solent solennitates arrogationis adhiberi, cùm tamen illa Unio non tam fiat propter majorem conjunctionem personarum, quàm Bonorum tantùm, ut diversorum matrimoniorum liberi æqualiter tàm in Bonis paternis, quàm maternis succedant, ùt advertit Engel 4. *tit.* 12. *n.* 7. Cùm ergo Jura de hac Unione nihil statuerint, sitque de consuetudine tantùm introducta (etiam inter Principes personas) impedimentum cognationis legalis nequaquàm ad illam extendendum est.

CRIMEN.

135. EXperientia docet Confessarios, quòd conjux, provecta ætate, aut notabili, & habituali sui conjugis infirmitate gravata, ut hoc tam molesto onere liberetur, vitæ quandoque illius (quacunque arte, & mediô) insidietur: frequentiùs autem se alteri viro adulterandam exponat, & pactum cum eo, de ineundo aliquando matrimonio faciat.

Gravissimo huic malo obviare cupiens Ecclesia, authoritati, quam circa im-

pedimenta matrimonij habet, innixa, prudentissimè, & opportunè statuit impedimentum *Criminis*, vi cujus nec illa conjux, quæ in mortem sui mariti machinata est; nec ea, quæ se, vivente marito, alteri viro prostituit, cum complice criminis hujus unquam matrimonium contrahere potest: ut vel ita, ablata videlicet spe conjugij, post mortem exosi conjugis cum amasio ineundi, enormia illa crimina efficaciter, quantùm in se est, reprimat. *Ratio inducens Ecclesiam ad sic ordinandum, est repressio adulterij, & homicidij, quæ frequenter accideret, si tales personæ possent legitimè contrahere*, ait *Scotus* 4. *d.* 35. *q. un.* Quivis enim, si sapit, se continet ab eo delicto patrando, per quod videt se privandum illô, quòd tantoperè desiderat.

Ut autem hæc crimina, & consurgens inde impedimentum, debitè claresçat, *sequentibûs §§* id, quod mihi probabiliùs in tanta varietate Opinionum videtur, exponam.

§. I.

Impedimentum Conjugicidij.

163. *I.* COelestinus III. ùt refertur *c. laudabilem. 1. de convers. Infidel.* consultus *de Sarracenis, qui dum in ca-*

captivitate essent, quarundam Christianarum virosearum insidijs, & machinationibus occiderunt: utrùm, quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, eas de Jure accipere possint in uxores? respondit: *si mortem ipsorum* virorum *malitiosè fuerant machinatæ, licèt earum studiò ad fidem accesserint, nec tamen eis adhærere debent, nec sunt, si adhæserint etiam, tolerandi*: non obstante emolumentô fidei Catholicæ exinde proveniente: *cùm tale damnum* (quod crimen conjugicidij infert) *tali lucrô Ecclesia compensare non velit.* Dum igitur conjux cum aliquo altero in mortem sui conjugis machinatur, dirimens impedimentum incurrit, quo obstante nequit morte secuta cum illo matrimonium contrahere, sive alter sit fidelis, sive infidelis: quàmvis enim infidelis directe non stringatur hoc impedimentô Ecclesiastico, utpote extra jurisdictionem Ecclesiæ constitutus, ad annullandum tamen matrimonium sufficit, fidelem esse impedimentô ligatum, ne cum infideli copulari valeat.

137. Id porrò cum *communi* advertendum, ut machinatio, ab utroque attentata, inducat impedimentum, eam intelligi consumatam, seu cum effectu mortis (ut liquet ex *cit. c.* in quo infideles occidis-

cidisse viros Christianarum narratur) sive fiat physicè, sive moraliter, id est rogando, suadendo, jubendo &c. alteri, ut conjugem exosum occidat, dummodò occisio vi hujus sequatur.

Vi hujus, inquam: si enim Caja jubeat, aut roget Titium, ut maritum suũ occidat, sed pœnitentiâ ducta, mandatum revocet, antequàm Titius occidat, eáque revocatio ad notitiam illius pervenerit, nullum oritur cum Titio impedimentum, licèt postmodum occidat; cùm Caja ratione factæ revocationis non sit amplius causa mortis. Simili ratione si ex conspiratione Cajæ, & Titij vulnus quidem inflictum erat, sed non lethale, ex quo tamen, ob imperitiam chirurgi ineptè curatũ, obiit, non oritur hoc impedimentum, quia videlicet non ex machinatione, aut vulnere, sed ex insscitia medicantis secuta mors est: unde omnes illos ab hoc impedimento reor liberos, qui non sunt causa physica, aut moralis mortis, licèt occasionem ad eandem præbuerint: versamur enim circa materiam odiosam, quam salva proprietate Juris pro possibili restringere oportet.

Ex quo autem fine hæc machinatio fieri debeat, ut causet impedimentum, dicam N. 140.

138.

138. *II.* Alexander III. interrogatus: *an liceat alicui cum ea contrahere matrimonium, quam uxore ſua vivente ſibi defactò matrimoniò copulavit?* reſcripſit: *ſi adultera eſt in mortem uxoris machinata, ſive fidem dedit, ſive non, quòd eâ defunctâ hanc eſſet ductūrus, ſecundum Canones ab ejus conſortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò eſt ſervanda*, ùt refertur *c. ſuper hoc 3. de eo, qui duxit in matrim.* &c. Ex quo conſtat altera ſpecies impedimenti, ex conjugicidio provenientis, quando ſcilicet conjugatus adulteratur cum aliena fœmina, quæ in mortem illius uxoris machinatur (intellige cum effectu, ſeu morte ſecuta per omnia ea, quæ *N priore* notaveram) hoc enim ſtante nequit poſt mortem ſuæ uxoris cum illa adultera contrahere, etiamſi antecedenter matrimonium non promiſerit: Immò ſi promiſiſſet, *duplici criminis impedimentô* obſtringeretur, ex adulterio nempe, & machinatione unius in mortem uxoris: & iterum ex adulterio, & promiſſione futuri matrimonij, de quo §. *ſeq.* Propterea ſi adulteram ducere volens, ad diſpenſationem confugeret, utrumque hoc impedimentum in Supplici exponere deberet.

Cœterùm, quæ dixi de adultera ma-

chinante in mortem uxoris viri, currunt etiam de viro machinante in mortẽ suæ uxoris, cùm *c. 6. eodem* clarè legatur: *nisi alter eorum* (id est adulter, vel adultera) *in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus;* est enim eadem ratio. Item si fœmina sit maritata, & illa, vel ejusdem adulter vitæ mariti fuerit insidiatus, ùt liquet *ex c. si quis vivente. xxxi q* 1. ibi: *nisi fortè vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur.* Ex quo *Can.* amplius roboratur, ad hoc impedimentum requiri veram occisionem, ex machinatione secutam. Sed.

139. *Dubitas I.* An sufficiat ratihabitio occisionis? id est: Titius adulterium commisit cum Berta: hujus maritum occidit Livius, quod factum approbavit deinde, seu ratihabuit Titius, quia nimirum Bertam viduam ducere potest. *Est* impedimentum crimininis inter Bertam, & Titium? *Respond. negativè:* nisi occisionem suasisset quoque Titius, jussisset &c. per dicta *N.* 137. Ratio est: vel Livius occidit maritum Bertæ nomine, & favore Titij eô, quòd crediderit, se rem illi gratam præstiturum; vel sine hac reflexione ex odio tantùm, aut rixa? si primum: videretur quidem, Titiũ esse impedimentô ligatum ex *Regula* 10. *I. in* 6.

Rati-

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. Verùm cùm hæc Regula fallat in ijs, quæ expressum mandatum requirunt: impedimentum verò criminis requirat aut occisionem, aut mandatum ad eandem, quod utique antecedere debet; nec enim propriè machinatur in mortem, qui mortem jam illatam approbat: Titius immunis erit ab impedimento. Si secundum: à fortiori idē dicendum est cô, quòd in tali casu ille nec ratihabere occisionem censendus sit; nam *ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, ùt habet alia Regula. 9. *I. in 6.*

140 *Dubitas II.* Qua intentione debeat fieri machinatio in mortem conjugis? *Respondeo*, me nullam reperire in Jure expressam: *communem* tamen, & *receptam* sententiam desiderare intentionē, post illatam mortem cum superstite conjuge contrahendi, quia videlicet Jus movebatur ad hoc impedimentum, ut, ablata spe conjugij cum superstite, præcluderet viam conjugicidijs, ad quæ adulteri non inclinant ordinariè, nisi, dum animum habent invicem contrahendi: unde Glossa *in cit. can. si quis vivente*, ad illa verba: *occidisse notetur*, addit. *ut conjungeretur alteri* in matrimonium. *Sanchez l. 7. de ma-*

matrim. d. 78. *n.* 12. citans 50. circiter DD. quibus addendi *Caram. Theol. fundam. l.* 3. *n* 3772. Engel 4 *Decret. tit.* 7. *n.* 6. Pirhing. *ibidem* §. 3. *n.* 26. Reiffenſt. *ibid. n.* 23. & alij. Ex quibus aliqui ultrà volunt, hanc intentionem debere à machinante alteri adulterio manifeſtari. Sed quia nullum hujus fundamentum video, ad quid enim ea manifeſtatio, cùm conſenſus, aut voluntas alterius nullibi exigatur? aliàs etiam finis Legis ſalvatur, dum is, qui animô ſuperſtitem ducendi, occidit conjugem, ſpe, quam concepit, privatus manet, licèt ſuum animum non prodiderit: potiùs cum Maſtrio 4. *ſentent. d.* 7. *n* 498 judico, ſufficere ad impedimentum, ut unus ex adulteris occidat ea intentione, alterô non tantùm intentionem, ſed etiam occiſionem ignorante. Sporer *de matrim. n.* 105.

141. Ex his *infero*, non eſſe locum impedimento, ſi Titius poſt adulterium, cum Caja patratum, occidat ſive venenô, ſive gladiô ſuam uxorem, quia rixoſa eſt, gravis, capitoſa &c. aut ex aliô quocunque motivô, dummodò nullatenus ex intentione, Cajam poſt modum ducendi, de quo caſum ex Navarro vide in P. Sporer *l. c. n* 103. qui tamen advertit, in foro externo, dum conſtat de uxoricidio,

& adulterio, semper præsumi intentionem ducendi, nisi contrarium gravissimis conjecturis probetur: v. g. Titium occidisse ex nimio furore, & calore iræ uxorem, quam aliàs amore prosequebatur &c.

Sed quid in foro interno? *Respondeo*, eô modô, quô se pœnitens accusat, judicandum esse. Si verò *ille* ipse dubitet de sua intentione, quia scilicet habuit quidem sæpiùs animum, se à sua uxore liberandi, & adulteram ducendi, nescit tamen, utrùm hìc, & nunc, dum occidit exorta contentione, se etiam illa voluntas insinuaverit: sentit quidem Sporer *cit.* abstinendum esse à matrimonio, & solicitandam dispensationem ab impedimento ea ratione, quòd contrahere volens debeat moraliter certus esse de impedimenti carentia, ne Sacramentum matrimonij periculo nullitatis exponat. Ast quia firmiter judico, dubitantem de impedimento *debere* quidem conari ad inveniendam veritatem, dum tamen ea attingi nequit, securè se posse, depositô dubiô, resolvere ad matrimonium, Titium ita dubitantem nequaquàm impedirem à conjugio: quemadmodum nec illum, qui dubitat e. g. de consanguinitate cum sponsa: *cum* enim *prohibitorium*

rium fit edictum de matrimonio contrahendo, ut, quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur c. cum apud de Sponsalib. certum esse debet, & non dubium impedimentum, ut vi illius aliquis à matrimonio prohibeatur: sicut in alijs materijs certum debet esse præceptum, aut prohibitio ad hoc, ut aliquid facere non audeam; alioquin manet in possessione libertas illud faciendi juxta Regulam 65. *I. in 6 In pari delicto, & causa potior est conditio possidentis*, cui, & alteri simili principio: *Beatus, qui possidet*, innixus Caramuel, edidit integram Dialexin de *Non certitudine* inscriptam, in qua à ratione, exemplis, authoritate DD & Jure demonstrat, ut aliquid licitè fieri possit, sufficere, quòd certum non sit, illud esse prohibitum. Ex qua solida doctrina sequitur, eum, qui moraliter certus non est de impedimento, posse judicium moraliter certum formare, nullum adesse impedimentum.

142. *Dubitas III.* Quale requiratur adulterium ad hoc impedimentum? *Respondeo*: ad hoc dubium patere ex dicendis *N.* 148. sicut etiam ex *N.* 145. patebit, adulterium, & conjugicidium debere concurrere durante eodem conjugio: & ex *N.* 144 quòd illud conjugium fuerit validum, & legitimum. §.

§. II.

Impedimentum Adulterij cum promissione matrimonij.

143. I. GRegorius IX. declaravit: *si quis, uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post, legitimè* (NB.) *ejus superstite, cognovit eandem: quàmvis utrique ipsorum pro eo, quòd in hoc graviter deliquerint* (ergo mortalis culpa est, vivente propria uxore alteri matrimonium promittere, multò magis actu illud contrahere) *sit pœnitentia injungenda, non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendū. Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, dum* (NB.) *vixerit uxor ipsius, illam adulteriò polluisset. c. si quis. fin. de eo, qui duxit in matrim.* idem legitur *c. significasti 6. eod.* statutum ab Innocentio III.

Ex quibus evidens est tertia species impedimenti criminis, quæ exinde oritur, quòd conjugatus adulteretur cum alia fœmina, cui etiam aut matrimonium promittit, post mortem suæ uxoris celebrandum, vel, quod pejùs est, illud actu cum ea contrahit, vivente scilicet legitima sua uxore (idem est, si ècontra con-

conjugata id attentet cum alio viro, vivente suo marito) nec quidquam suffragatur, etiamsi longissimo tempore adulter, & adultera ita conjugati permansissent, prolibûs quoque inde susceptîs; *cùm multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet. c. cùm haberet* 5. *eôdem.* ubi propterea separari jubentur, qui per decennium copulati cum hoc impedimento, decem proles genuêre: erga quas nihilominùs æquitas naturalis demandata fuit, *ut* videlicet *uterque* (Parentum) *Liberis suis, secundum quod, eis suppetunt facultates, necessaria subministrent*, in quo Episcopi invigilare debent.

144. Ad hoc autem impedimentum omnimodè requiritur (idem dic de impedimento ex adulterio, & conjugicidio proveniente) ut conjugatus, qui adulteratur cum altera, illíque matrimonium promittit, sit â parte rei conjugatus, seu verò, & validô matrimoniô suæ uxori copulatus. *c. significavit* 2. *tit. cit* ubi refertur, Alexandrum III. jussisse eum, qui vinculîs, & carcere compulsus ad quandam ducendam, eâ postmodum relictâ, aliam sibi matrimoniô junxerat, cum hac secunda permittendum esse eô, quòd primum

mum matrimonium ob metum gravem, & injuſtum fuerit invalidum: unde Rubrum *dicti c.* ſic ſonat: *ſi vivente prima uxore, & eâ non cognitâ, quis contraxit cum ſecunda ſcienter, & eam cognovit: etiam mortuâ primâ ſecundam habere non poteſt. Secùs ſi prima erat non legitima uxor*; quia nimirum ille, qui caret legitima uxore, quam tamen talem credit, peccat quidē peccatô adulterij ob conſcientiam erroneam, dum accedit ad aliam fœminam, ſed â parte rei non committit adulterium, quod tamen in propoſito Jura exigunt.

Nequaquàm tamen requiritur matrimonium conſummatum cum propria uxore, ſed ſufficit ratum duntaxat, ùt patet ex Rubro mox *cit.* ibi. *& eâ non cognitâ*; eſt enim verum, & legitimum conjugij vinculum, licèt non ſit per copulam conſummatum. Et quia vinculū non diſſolvitur per divortium, vir, ab uxore ſua per divortium ſeparatus, reus etiam fit impedimenti, ſi aliam adulteriô polluit, illíque fidem dat futuri matrimonij. Ob eandem rationem idem dicendum, dum uxor alicujus poſt conſumatum matrimonium in aliqua ex Religionibus ſolenniter profeſſa eſt, prout deciditur *c. ex Litterarum. 4. d. t.*

145. Requiritur item, ut & adulterium

rium, & promissio matrimonij fiant vivente eodem, vel eadem conjuge (quod intellige quoque de impedimento superiore ex conjugicidio, & adulterio, quorũ utrumque debet comissum esse durante vita ejusdem conjugis) ut manifestè indicant verba *N.* 143. *relati cap.* per NB. signata, colligitúrque ex *alijs c. c.* de hoc impedimento tractantibûs. Quocirca si Titius vivente sua uxore cognovit Cajam & mortuâ primò illâ huic fidem matrimonij dedit, potest illam ducere, quia adulterium, & promissio matrimonij non sunt facta durante eodem matrimonio. Nec si fidem dedit Cajæ, sed hac fide, & promissione revocatâ eam cognovit: quia per revocationem cassata est, & abolita promissio, sícque manet solum *adulterium*, quod non sufficit ad impedimentum. Aliud foret, si patratô jam adulteriô promissionem revocaret; nam per promissionem priùs factam, cui accesserat adulterium, causatum jam fuit impedimentũ, quod sine dispensatione non ampliùs tollitur. Nec denique, si Titius data fide Cajæ, post mortem suæ uxoris duxit Annam, & hac vivente cognovit Cajam, prohibetur in casu mortis Annæ à ducenda Caja eô, quòd adulterium, & promissio non concurrerint ad tempus ejusdem conjugii. II.

146. II. Alexander III. prout legitur c. *propositum* 1. *cod. t.* consultus de eo, qui vivente sua legitima uxore sibi aliam hujus ignaram copulavit, & cognovit, his formalibûs respondit: *quia præfata mulier erat insscia, quòd ille aliam haberet uxorem: nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet ... taliter respondemus, quòd nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenùs separandi*: subaudi post mortem uxoris: ante mortem autem absolutè separari debent ad vitandam Polygamiam.

In hoc Rescripto Papæ patenter requiritur, ut fœmina, quam adulter data fide sibi desponsat, sciat illum uxoratum: secùs enim, si bona fide crediderat, illum esse â matrimonio solutum, potest quidem post mortem uxoris ab illo recedere, cùm matrimonium, priùs vivente uxore contractum, fuerit nullum: si tamen adulterum, ùt maritum habere, & retinere voluerit, cogendus ille est, ad conjugium, prius nulliter contractum, novo consensu revalidandum; id namque naturalis æquitas postulat, ne fœmina dolosè circumventa, & hac fraude ad carnales copulas simulato jure matrimonij seducta, â deceptore deseratur invita.

Interim vide, quæ *N.* 42. dicebam in simili de ea, qui se ingenuam fingens decepit ingenuum, quòd videlicet sit cogenda ad permanendum in matrimonio, si ille voluerit.

Vide etiam dicta *N.* 33. ut scias, quæ ignorantia ad hoc sufficiat, eáque ad propositum accommoda. Item ampliùs dicenda *N.* 306.

Quæ de fœmina ignorante dixi, multò magis vera sunt, dum ipse etiam vir bona fide credit suam uxorem obdormisse, séque liberum reputans, progreditur ad aliud conjugium, illóque utitur. Si tamen hi duo bona fide copulati, resciant postmodum, uxorem priorem etiamnum vivere, utique ab invicem separari debent, nec ampliùs congredi audent sub reatu adulterij per dicenda *de impedimento Ligaminis.*

147. *Sed quid?* si ea notitia non obstante ab assueta copula carnali non desistant, incurúntne propterea impedimentum criminis? *Respondeo*: P. Sporer *cit. n.* 108 illos liberare cum Tamburino, si copulas continuent non quidem vi prioris promissionis matrimonialis, à qua, tamquàm nullâ, recesserunt, sed ex affectione carnali duntaxat; quia in hoc casu evanescente promissione, & quodammodo

modò revocatâ, fiunt ſolius adulterij participes. Damnat autem illos, ſi in priori promiſſione conjugali permanentes, vi illius ulteriùs commiſceantur; concurrunt enim promiſſio, & adulterium formale, quæ impedimentum cauſant. *Bona quidem* diſtinctio, ſed in eo augenda, quòd dum hi putativi conjuges neſciunt, ſed dubitant, utrum à priori promiſſione receſſerint, illámque revocaverint, concludendum, & ſtandum ſit pro illa, & conſequenter etiam pro impedimento; nam promiſſio ſemel facta, eſt in poſſeſſione, & tamdiu permanere cenſetur, *donec* non conſtat eſſe revocatam, ex doctrina, *N.* 141. datâ. Adde iterum, illam diſtinctionem currere pro foro interno duntaxat: etenim cùm periculum ſublateat, ne revocatam ſimulent promiſſionem, cui tamen adhærentes, permanent in propoſito iterati conjugij, dum uxorem reverà obire contigerit: hôc ipsô, quòd conſtiterit, *eos* in adulterio continuanter vixiſſe, in foro fori præſumetur impedimentum.

148. *Dubitas* autem *I.* Quale adulterium in propoſito intelligatur? *Reſpondeo* cum Sanchez *l. c. d.* 79. *n.* 2. Sporer. *n.* 110. Pirching, Pichler, & *comuni* Modernorum, intelligi conſummatum per

copulam perfectam cum immissione seminis intra vas naturale. Ratio est: quòd, licèt quantùm ad rationem peccati, verum committatur adulterium per copulam inchoatam tantùm cùm fœmina non sua, violatur enim fides thori conjugalis: imò etiam per pollutiones, & tactus impudicos, qui induunt malitiam copulæ adulterinæ, ad quam ordinantur: nihilominùs quia in communi sensu, & existimatione per adulterium simpliciter intelligitur copula perfecta cum non sua, per immissionem seminis consummata: non nisi tale adulterium intelligendum venit, dum agitur de impedimento exinde resultante, aut de pœna ordinaria, contra illud à Jure statuta: atque ita parificatur hæc species impedimenti criminis cum alia superiùs explanatâ, quòd sicut ad illam requiritur machinatio in mortem consummata, ita etiam adulterium consummatum, jubente vel maximè illo *communi* principio: *odia restringi, & favores convenit ampliari.*

Nec opponas, quòd hæ lasciviæ, & inchoata adulteria ampliùs coërceantur, si etiam illis concedatur vis, & efficacia causandi impedimentum. Hoc *siquidem* verum est: attamen quia nullibi legitur, eam vim copulæ inchoatæ à Jure anne-

xam

xam esse, sed tantummodò adulterio, quod in odiosis non nisi de consummato interpretari debet: non est id asserendū. Alioquin pari ratione tactibus enormiter lascivis, pollutionibus, & copulæ sodomiticæ cum aliena fœmina ob eandem rationem vis dirimendi matrimonij admitti deberet, quod nemo dixerit. Quocirca non video, ob quam urgentem rationem P. Reiffenst. qui *in sua Theo. morali tract.* 14. *d.* 13. *q.* 4. *n.* 93. adulterium consummatum ad hoc impedimentum requisierat, mutatâ postmodum sententiâ in Jure Canonico *l.* 4. *tit.* 7. *n.* 13 docuerit, sufficere copulam inchoatam tantùm

Addit porrò Sanchez *l c.* impedimentum incurri, dummodò, quacumque tandem arte, aut instrumentô, fœmina semen virile recipiat, licèt vas illius non penetretur. Verùm quia per adulterium communi opinione venit penetratio vasis ex immissione membri virilis, speculationi huic non arbitror adhærendum. Videantur dicenda *de Impedimento affinitatis.*

149. *Dubitas II.* de promissione matrimonij, qualis esse debeat? *Respondeo*, de ea multùm discrepare tùm Theologos, tùm Juristas, aliquibûs plura, pauciora alijs requirentibûs. Quid ego sentiā,

per ſequentes *Aſſertiones* declarabo, dum tamen præmonuero, generaliter loquēdo illam requiri, & ſufficere promiſſionem, quæ in alia materia valida eſſet, & obligationem pareret.

Aſſero I. Promiſſionem debere eſſe veram, & actualem, nec ſufficere velleitatem tantùm, aut intentionem promittendi: qui enim vellet tantùm promittere, aut qui intendit, actu non promittit, nec obligationem contrahit. Unde ſi Titius uxoratus diceret ſuæ adulteræ: *ſi conjugatus non forem, te ducerem*: vel, *intendo te ducere poſt mortem meæ conjugis* &c. non ligaretur hôc impedimentô. Immò Engel 4. *tit.* 7. *n.* 9. illum ab impedimento liberat, etiamſi diceret: *mortua uxore non aliam ducam præter te*: utique ex eo, quòd exinde non fiat ſimpliciter obligatus, ſed ex ſuppoſito tantùm, quòd aliquam ducere vellet: & hoc verum eſſe videtur, niſi circumſtantiæ aliud ſuadeāt verum ſcilicet promittendi animum.

150. *Aſſero II.* Non requiri quidem promiſſionem juramentô firmatam, cùm id neceſſarium eſſe nec ratio urgeat, nec lex jubeat. Requiri tamen ſeriam, nec ſufficere fictô animô prolatam: ficta namque promiſſio non eſt vera promiſſio, nec ùt talis obligat. Engel, Sporer, Reiffenſt.

II.

ll. cc. & *communior* contra Sanchez *cit. n.* 10. & quoſdam alios. In foro tamen externo, dum conſtiterit de promiſſione, judicabitur, illam ex ſerio animo proceſſiſſe, præſumitur enim mentem concordare verbis.

151. *Aſſero III.* Non eſt neceſſariū, ut ſit promiſſio mutua, & reciproca, ſed tantùm, ut ſit acceptata. Ratio primi eſt contra Bellarmin. Layman &c. citatos ab Elbel *de matrim. n.* 165. quòd nulla lege exigatur repromiſſio: immò, quia *c. ſignificâſti* 6. *de eo, qui duxit* &c. dicitur: *niſi alter eorum fidem dederit:* non autem, *niſi uterque*, aut: *niſi alter eorum altero repromittente* &c. potiùs deducitur, promiſſionem unius tantùm ſufficere. Tum quia in odioſis docemur quidem, verba in omni proprietate ſumere, & intelligere, non tamen ultrà aliquid addere: cùm ergo jus exigat promiſſionem duntaxat, ea autem verè, & propriè talis ſit, etiam repromiſſione non accedente, neſcio, quomodo hæc ſuperexigi poſſit. Quapropter mihi minimè probatur principium illud, eam nempe requiri promiſſionem, quam ſponſalia exigunt. Sanchez *c. n.* 22. Engel, Sporer, Reiffenſt. & alij.

Ratio ſecundi eſt, quia promiſſio non acceptata non eſt rigoroſa promiſſio,

sed nuda pollicitatio, ùt post alios benè probat Sanchez *n.* 19. Porrò acceptatio fit vel verbô, vel factô; non enim verbîs tantùm mentem nostram exprimimus, sed signîs quoque, & factîs. Verbô acceptat adultera promissionem, dum reponit: *placet, accepto* &c. nequaquàm autem, si audita promissione matrimonij dicat: *ita, si DEus voluerit*, aut *fiat, quod Deo placuerit*: hôc namque responsô potiùs rejicitur promissio, cùm DEo minimè placeat is tractatus, & promissio. Factô autem acceptare censetur, dum fœmina auditîs hîs verbîs: *si mihi copiam tui corporis dederis, te ducam*, aut *me obligo ad te ducendam post mortem meæ uxoris*, mox consentit adulterare volenti, & copiam sui corporis facit, nam & vir æstimaretur factô promittere matrimonium, dum fœmina dicente: *si mihi matrimonium promittas, concedo tibi usum corporis mei*, se, etiam silens, ad usum illius accingeret. Hîs benè perpensîs non consenties P. Elbel in solutione casûs quem *locô cit.* proponit

Patet jam, non sufficere ad hoc impedimentum, quòd adultera audita promissione matrimonij, ab adultero factâ, simpliciter taceat: siquidem Regula illa ordine 43. *I. in* 6. *Qui tacet, consentire videtur*

detur, non verificatur in odiosis, nisi quando tacens potest, & debet loqui: hæc verò promissio est odiosa, & præjudicios adulteræ, utpote impedimenti inductiva: nec illa tenetur loqui. Caram. *l.* 3. *Theol. fundam. n.* 3771.

152. *Assero denique IV.* Promissionem (quidquid dicat Sanchez *cit.* quem prolixum vide, si lubet) debere esse absolutam, quia promissio non absoluta non obligat, nec est vera actualis promissio. Unde si contingeret promissionem matrimonij conditionatè tantùm fieri, non oriretur impedimentum, nisi conditio ante mortem conjugis adimpleatur: si enim ante mortem eveniat, promissio evadit absoluta: si verò primùm post mortem, tunc, cùm vivente uxore, aut conjuge de se necdum fuerit obligatoria, remansit solum adulterium, quod insufficiens est ad impedimentum inducendum.

§. III.

Quid sentiendum de eo, qui hoc impedimentum ignorat?

153. PPichler *in* 4. *Decret. tit* 7. *d n.* 6. citatis Palud. Major. Zergoll, Krimer, & quibusdam alijs defendit, *illos*, qui committunt quidem crimina

mina ad præsēs impedimentum requisita, sed ignorant Legem, quæ talibus criminibus impedimentum adnectit, illud nequaquàm incurrere, ea potissimùm ratione, quòd hoc impedimentum sit latũ in pœnam criminum conjugicidij, & adulterij, ut videlicet conjuges absterreantur ab his delictis, dum sibi præclusam spem matrimonij vident: atqui ignorans pœnam aliquam esse delicto impositam, illam non incurrit eô, quòd gravius peccet, qui sciens legem pœnam ferentem, illam transgreditur, quàm ignorans: adeóque æquum est, ut ille gravius puniatur, sícque impedimento subjaceat, non iste. Quemadmodum etiam, ùt dictum fuit N. 146. liber est ab hoc impedimento, qui committit quidem adulterium, sed nescit, se illud committere, puta, quia credit, alterum non esse conjugatum. Confirmat amplius â paritate: etenim maritus, qui peccat cum consanguinea uxoris suæ, ignorans legem, quæ illum privat jure petendi debitum â sua uxore, non privatur illô. Nec est excommunicatus, qui ignorat delicto â se commisso annexam esse communicationẽ. Necfit irregularis ex plurium sententia, qui ignorat v. g. se ex homicidio injusto, aut violatione censuræ fieri talem, non ob-

obstãte, quòd Irregularitas sit potiùs quædam inhabilitas, quàm pœna. Tandem, ùt multi Theologi docent *in materia de Pœnitentia*, reservatio peccatorum non incurritur ab eo, qui ignorat, sua delicta esse reservata: ergo etiam non incurrit hoc impedimentum, qui occidit conjugem, aut adulteratur cum aliqua, cui matrimonium promisit, & nescit, seu ignorat legem, impedimentum statuentem.

154. Oppositam sententiam tutantur Caram. *l. n.* 3772. Reiffenst. *n.* 26. Sporer *de matrim.* n. 114. & ab ijs citati, quam etiam Pichler fatetur esse *cõmunem:* & fundatur in primis in illo generali principio, quòd cùm impedimenta non dependeant ab hominum voluntate, sed à Jure duntaxat, quod nullibi declarat, necessariam esse scientiam illorum, ut incurrantur, Sanchez *l.* 7. *d.* 40. *n.* 7. sicut alia impedimenta afficiunt ignorantes, ita etiam impedimentum criminis. Deinde, quòd etiam pœnæ, etsi invincibiliter ignoratæ, maneant illos, qui scienter delictum aliquod committunt (*exceptîs censurîs* propter dicenda) docent Layman, Suarez, Ledesma, & *communissima* aliorum, quos citat, & sequitur Reiffenst. *ad* 5. *Decret. tit.* 3. *n.* 321. & contrarium videtur Covaruv. *error admodùm manifestus,*

ſtus, & maxima oſcitantia: cùm enim cuivis notum ſit, crimina voluntariè commiſſa, nedum â Deo, ſed etiam â Jure, & Legibus puniri variis modis pro diverſitate, & gravitate illorum, hôc ipsô, quòd quis aliquod ſpontè committat, ſe ſubdit pœnæ in illud ſtatutæ, habétque implicitam ſaltem, & virtualem notitiam talis Legis, licèt explicitè ignoret pœnam determinatam. Quam doctrinam etiam comprobat univerſalis praxis Tribunalium utriuſque judicij: non quidem ex eo, quòd tribunalia præſumant notitiam pœnæ in delinquentibus, quæ ſcilicet in foro externo ſemper præſumitur, maximè pœnæ â Jure communi inflictæ: ſed ex ratione inſinuata, quòd ſufficiat delictum voluntariè, & ſcienter admiſiſſe: unde fit, non examinari in Judicijs de ſcientia pœnæ, ſed tantùm de crimine. Et Deus benedictus etiam, quidquid in præſumptionibus non fundatur, cùm ſit *ſcrutans corda, & renes Pſal. 7.* ſed ſecundū ſuāmā æquitatē in ſuis judicijs, & pœnis procedit; nequaquam attendit ad ſcientiam pœnæ in delinquente, ſed totam fulminat in illum quoad omnem gradum, etiamſi ea intenſio ignoretur.

Quæ cùm ita ſe habeant in pœnis

purè

però talibus, & vir dicativis, à fortiori vera sunt in ijs, quæ præter hoc, quòd sint pœnæ, sunt etiam inhabilitates, seu reddunt personam inhabilem ad aliquem actum validè exercendum, ùt est impedimentum criminis inhabilitans ad matrimonium. Etenim dum actus nullus est propter impedimentum Juris, vel personæ inhabilitatem, certum est, quòd gestus ab ignorante illud impedimentum, aut inhabilitatem non evadat validus, neque ignorantia prodesse possit ad valorem. Pirhing *ad* 5. *Decret. t.* 27. *n.* 50. sic collatio beneficij facta excomunicato excommunicatione majori est nulla, etiamsi ille probabiliter, aut invincibiliter ignoret, se esse excommunicatum, ùt docent *DD. communiter.*

155. Limitavi suprà: *exceptis censuris*, propter apertum textum Bonifacij VIII. qui refertur *c. ut animarum* 2. *de constit. in* 6. & passim in materia censurarū allegatur à Juristis, & Theologis: *ut animarum periculis obvietur, sententijs* (censuris) *per statuta quorumcumque Ordinariorum* (etiam Papæ, qui est Ordinarius Ordinariorum) *prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Ex quo *DD.* inferunt: cùm ad incurrendum Censurā re-

requiratur contumacia, & virtualis saltē contemptus Clavium, seu potestatis Ecclesiasticæ (excommunicatio enim est pœna gravissima, *quâ pœnâ in Ecclesia nulla major est. c. corripiantur* 17. *xxiv. q.* 3. & ideo *c. sacro. de sentent. excommun.* prohibetur: *ne quis in aliquem excommunicationis sententiam ferat, nisi competente monitione præmissa* de ipsa excommunicatione per tradita â Sanchez *l.* 9. *de matr. d.* 32. *n.* 13. ex Soto, & alijs, ut nulla illius ignorantia in excusationem adferri possit) non fieri reum illius, qui censurā, aut Legem, eam fulminantem, ignoravit: non enim contemnit disciplinam, qui ignoravit. *L. si ignorans* 50. *ff. Locati.* Cùm autem ad luendas alias pœnas nullibi contumacia requiratur, nec Jus illam exigat, aut declaret, ignorantiam habere vim aliquem ab ijs eximendi: non videtur bona illatio â Censuris ad alias pœnas, præsertim cùm dicta *N. priore* aliud suadeant.

156. His tamen non obstantibus verum manet, ignorantiam facti excusare ab impedimento, sícque immunem esse ab illo, qui ignorat se adulterium cōmisisse, ùt *suprà* docui claro Jure: etenim cùm pœna sequatur tantùm culpam, nec æquitas admittat, ut innocens puniatur: quid mirum

mirum, eum, qui ignorat, se adulteriô implicari, & ob id reus non est hujus criminis, evitare impedimentum, quod de Jure illud crimen duntaxat reprimere intendit? Quemadmodum qui probabiliter ignorat, se esse excommunicatum, aut suspensum, exercendo actum Ordinis non fit irregularis eô, quòd nesciat se contra Legem, Ordinis exercitium censuratis prohibentem, agere, proinde non agat culpabiliter: hinc ille tantùm punitur, *qui damnabiliter se ingesserit Divinis c. 1. de sent. & re judic. in 6.* junctô *c. 4. de Clerico excommunic:* An autem ad effugiendam Irregularitatem juvet ignorantia; negant *Omnes* de ea Irregularitate, quæ ob defectum significationis contrahitur; quia stante quacunque ignorantia tollitur significatio, v. g. unitatis Christi sponsi, & Ecclesiæ sponsæ. De ea verò, quæ ob delictum imponitur, *illi* DD. qui excusationẽ ignorantiæ admittunt, se in eo fundant, quòd æquiparetur excomũnicationi, & imponatur ex contumacia, & contemptu Clavium: unde etiã pœna contemptûs ab Abbate, Navarro &c. apud Sanchez *cit.* dicitur, & quemadmodũ Excomũnicatio *ex dictis*, & Suspensio ex *c. reprehẽsibilis 26. de Appellat. &c.* monitionẽ exigit: *nec Prælati, nisi Canonica monitione*

præ

præmissâ, suspensionis, vel excommunicationis sententiam ferant in subjectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere (ipso Jure) eam Censuram *inducat*: ita & Irregularitas præviam monitionem postulat, ut illam sciens, nec reformidans, contemnere convincatur. Ex quibus, ùt consideranti patet, non benè deducitur, Criminis quoque impedimentum prætextu ignorantiæ Juris vitari posse, cùm contumaciam non prærequirat.

157 Denique cùm *c. 2. si vir. de cognat. spirit.*: quòd suprà *N.* 86. per extensum videri potest, expressè declaratur, virum, qui suæ uxoris prolem ex se genitam, de sacro fonte suscepit extra ullâ necessitatē, ignorans se inde cognatũ spiritualẽ uxoris effici, non privari jure debitum conjugale petendi: *quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur.* Si autem extra matrimonium vir de sacro fonte suscipiat prolem alicujus fœminæ, licèt ignoret, cognationem spiritualem exinde emanare, incurrit impedimentum compaternitatis spiritualis secundum *Omnes*, etiam *AA.* Non videtur, ex eo, quòd conjux carnaliter cognoscens consanguineam suæ uxoris, sed ignorans, se inde privari jure petendi debiti, eô non privetur (quod esse certum ait P. Sporer

cit.

cit. n. 483. Vide etiam dicenda *de Impedim. Affinitatis N.* 306. non obſtante, quòd fiat vetus affinis ſuæ conjugis: concludenter deduci, illum quoque eſſe liberum ab impedimento Criminis, qui ſe implicavit quidem crimine requiſito, ſed ignoravit legem impedimenti: Jura equidem, & ratio magis favent matrimonio legitimè jam contracto, quàm contrahendo, & pro poſſibili ſervant jura illius, ne tœdioſum, & ingratum fiat conjugibus. Proinde ſi ſubſiſtente matrimonio auditur excuſatio, ab ignorantia petita, ut jura conjugum manuteneantur, non debet propterea ſimilis excuſatio exaudiri ante matrimonium in ordine ad effugiendum impedimentum, quod ignorari dicitur.

Si petas: quid tandem ſentiam in hoc intricato negotio? *Reſpondeo*: meam mentem in reſolutione ſequentis casûs declarandam.

§. IV.

Reſolvitur Caſus de Impedimento Criminis.

Titia fœmina juvenis experta, maritum ſibi datum, qui ex ſenili languore viribus illius omnino impar erat, adjecit animũ, ut conſolationem, quam in conjugali thoro

desperabat, aliunde quæreret. Nec diu moratur, cùm ecce! factâ cum Lino secretiore amicitiâ, satisfactionem in eo invenit, quam frustrà à marito expectabat. Dúmque longiori tempore id vitæ genus continuant in quo sibi uterque complacet, pactum ineunt conjugij, post obitum mariti, quem provecta illius ætas brevi futurum præsagiebat, celebrandi. Moritur ergo senex maritus, & aliquo pòst tempore silvestres bi sponsi fidei alterutrũ datæ memores, Parochum accedunt, denuntiari petunt, & omnia ad diu optatas nuptias parant. Die copulationem præcedente, cupiens Titia se ad matrimonialis Sacramenti gratiam disponere, Confessarium adit, adulteria cum sponso multiplicata exponit, cúmque, dum interrogatur, sibi vivente adhuc maritò desponsatum fatetur. Objurgat Titiam confessarius de tanto crimine, præsertim quòd viam sibi præcluserit ad conjugium tam ardenter expetitum. Sed auditô hôc inopinatô nuntiô, Titia multum alterata hæret animô, se hoc impedimentum nec à longè somniâsse asserit: & quia nuptiæ jam divulgatæ nullam patiuntur moram, remedium, & juvamen quærit. Quid factô opus?

158. *Respondeo:* Propugnatores benignioris sententiæ *N.* 153. expositæ, utique non impedient has nuptias, sed Ti-

Titiam propter ignorantiam Juris absolvent ab omni impedimento : immò aliqui ex AA. ùt puto, idem facient. Etenim si P. Sporer *p. 3. Theol. Sacram. c. 6. n. 735.* secutus P. Gobat absolveret etiam sine speciali facultate â casu reservato pro prima vice, addita tamen monitione, & instructione de reservatione, dum adverteret pœnitentem nescire, casum esse reservatum : quàmvis fateatur cum eodem Gobat, hanc absolutionem quoad peccata, quæ reservantur ad cautelam tantùm, & rectam gubernationem ovium, repugnare judicio omnium Superiorum, ac praxi Confessariorum, qui passim etiam ignorantes non absolvunt (de quo tamen testari nequeo, cùm nesciã, quid ij, aut aliqui in hoc secreto Tribunali practicare soleant) si, inquam, hic Author â tali absolutione non abhorreret, crederem, ob consequentiam fortè doctrinæ *in casu* proposito Titiam absoluturum ab impedimento ob eandem ignorantiam illius : utrobique enim agitur de valore actûs, seu Sacramenti, Pœnitentiæ videlicet, & Matrimonij ; nec apparet, ignorantiam quoad unum esse majoris efficaciæ, quàm quoad aliud.

Cœterùm quantùmvis Sporer *de matrim. n. 114.* mentionem faciat hujus

sententiæ, eámque appellet antiquam, & obsoletam (sed utique hodie non est talis, cùm quidam Recentiores illam pro viribus persuadere conentur) addit nihilominùs cum P. Gobat hìc *cas.* 10 *n.* 202. quòd non vereretur conjuges, qui bona fide contraxêre adstricti impedimentô Criminis, relinquere in bona fide. Tacerem idem & ego, dum adverterem conjugem nec cogitare de impedimento, minùs, an tale sublateat, interrogare, & unà notarem magnam difficultatem esse (sed quando abest?) si insinuatô impedimentô cogeretur separari ab altero conjuge, aut ut interim se contineat ab omni usu matrimonij, donec dispensationis (si impedimentum sit ex dispensabilibus unum) remedium procuretur, aut denique in renovatione consensûs, quæ necessaria est *juxta Omnes*, cujus varios modos, & arduitates, Apostolica decisione dignos (ùt ait Reiffenst. *in Append. ad 4. Decret. n.* 584.) videre est passim apud mox *citatum* Reiffenst. Sporer. & alios. Hæc namque hodie *communis* esse cœpit sententia in materia cujuscumque impedimenti, quam sæpè *cit.* Sporer *n.* 444. egregiè exponit, multa lectione, & longa praxi, ùt præmittit, edoctus; eámque ad praxim deduxisse jam olim S. Carolum

Bor-

Borromæum narratur, qui habitô Confi-storiô Eccleſiaſticô reliquit in bona fide Nobilem illum, qui ſuam propriam filiã, & ſororem, puellam *videlicet* â ſe per coitum infandum, cum Matre habitum, genitam, in uxorem accepit. *Verùm* hæc ſententia non fundatur in eo, quòd ignorantia impedimenti excuſet ab illo, ſed quòd ſtantibûs difficultatibûs recenſitîs in procuranda diſpenſatione, conſultum ſit conjuges, qui credunt, ſe legitimô matrimoniô uti, permittere in materiali fornicationis peccato, ex quo nullum reatum coram DEo contrahunt: ne aliàs, ſi nullitas matrimonij ex latente impedimento manifeſtetur, & tamen ſpes ſeparationis, aut continentiæ in cohabitando non appareat &c. formalibûs peccatîs implicentur. Vides igitur integram remanere difficultatem, & caſum noſtrũ adhuc inſolutum eſſe. Unde

159. Perpenſîs gravibûs fundamentîs alterius ſententiæ ſeverioris, negantis, ignorantiam Juris excuſare ab impedimento criminis: tùm quòd exploratum non ſit, impedimentum hoc eſſe in pœnã duntaxat ſtatutum, & non principaliter potiùs ad abſterrendos homines, ne ſpe futuri matrimonij ad conjugicidium deſcendant, aut adulterijs aſſuefiant, utì

N. 135. ex Doctore Subtili adnotaverim: aut si habeat rationem pœnæ, non tamen purè vindicativæ, sed inhabilitantis, de qua major videtur difficultas ex deductis *priore §.* Tum quia versamur in materia valoris Sacramenti matrimonij, quæ nos ad probabiliora cogit.

Dico: Confessarium non posse declarare, Titiam ex eo ab impedimento criminis liberam, quòd ignoraverit, adulterio, & promissioni matrimonij ab Ecclesia adjunctum esse: sed injungere debere, ut Nuptiæ differantur usque ad adventũ dispensationis; & rarò deesse poterunt aliæ causæ ad differendas illas, præsertim dum maturè, & debito tempore impedimentum proditur.

160. *At, ais,* in casu nostro non esse locum dilationi; omnia enim parata sunt ad nuptias, consanguinei, & amici invitati, Denuntiationes factæ publicè. *Respondeo,* Confessarium mox posse recurrere ad Episcopum, & suppressis nominibûs Oratorum ab eo petere dispensationem. Quàmvis enim in impedimentis dirimentibus, cùm sint â Pontifice, aut Generali Concilio statuta, nequeat Episcopus regulariter dispensare ex generali ratione, quòd *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest. Clement. ne Romani. 2. de Elect.*

Elect. in casu nihilominùs urgentis necessitatis gubernium universalis Ecclesiæ postulat, ut per Episcopos oviculis, in tali arduitate constitutis, succurratur, pro quo casu rationabiliter creditur, summum Pontificem eam authoritatem Episcopis concedere: Nam *quod in Lege non est licitum, necessitas facit licitum. c. 4. de R. I. in* 6. amplius que docetur in materia *de constit. lib.* 1. *Decret.* posse scilicet Episcopum in casu particulari urgente necessitate saltem pro foro conscientiæ dispensare contra SS. Canones. Sanch. *l. 2. de matrim. d.* 40. Engel, Sporer *cit. n.* 55. Reiffenst. *in cit. Append. à n* 15. appellans hanc sententiam *communem*, & *propemodum certam.* Obtenta igitur dispensatione, quæ oretenùs dabitur Confessario, res est salva

161. *Sed* necdum finis; potest namque contingere, Episcopum non esse in loco, sed longè distantem: aut esse durũ in dispensando; quid ergo agendum? *Respondeo* ex Sporer *cit.* Elbel, ac alijs, instruendam esse Titiam (quod illa etiam suo sponso suggeret, cui pariter nota est causa hujus impedimenti) ut accedat altera die ad Ecclesiam, contrahat externè matrimonium cum intentione, non quidem Sacramentum matrimonij in-

eundi, ſed faciendi id tantùm, quod poteſt, cum propoſitô tamen non conſummandi, nec quidquam laſcivi attentandi cum putato marito, donec diſpenſatio procuretur. Abſtinebit autem facilè in noſtro caſu ab his omnibus, nec ſolicitari ad quidquam poterit â marito, cùm & ille ſciat, ſe uſque ad diſpenſationem omni jure conjugali carere. Adveniente deinde diſpenſatione, & renovato conſenſu erunt illis omnia, tanquàm veris, & legitimis conjugibus licita.

CULTUS DISPARITAS.

162. APoſtolus, ad Epheſios ſcribens c. 4. *unus Dominus, una fides, unum baptiſma*, triplicem indicat unitatem, quâ fideles, *ſoliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis*, & unum Deum æquali ritu colentes, charitate creſcunt *in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Ib.* â qua trina unitate, vel una ſaltem ex illis, qui recedunt, diſparis cultûs, & Religionis eſſe notantur, ùt Ethnici, Turcæ, cœteríque Gentiles, & infideles, qui nec unitatem veri DEI agnoſcunt, nec fidei; nec baptiſmatis neceſſitatem venerantur; Judæi item, qui unum quidem

dem Deum adorant, sed umbris veteris Legis pertinaciter adhærentes, non agnoscunt Dominum nostrum JEsum: proinde etiam in fide, & baptismate à veris fidelibus alienantur. Et denique Acatholici, seu Hæretici omnes, qui in eo ab unitate dicta deficiunt, quòd ab integritate veræ fidei turpiter recedant. Videndum ad præsens est, & examinandum, utrùm Catholici, seu fideles cum his connubia celebrare valeant.

§. I.

Examinantur matrimonia fidelium cum infidelibus.

163. NArrantur quidem in Sac. Paginis plura matrimonia, à veri DEi Cultoribus cum Infidelibus celebrata; ùt Joseph cum Ascenech filia Putipharis. *Gen.* 41. Moysis cum filia Jethro. *Exod.* 2. Hester cum Assuero. *Ester.* 2. &c. quorum aliqua ob particularem rationem ex instinctu Divino facta fuisse *cum certa confidentia de adjutorio, quòd fidelis non subvertetur per infidelem*, certum videtur Doctori Subtili 4. *d.* 39. *q. un.* Alia verò utique, tanquàm illicitè attentata, reprobari debent: tùm quòd indecens sit, *prostituere Gentilibus membra Christi*, ùt

ait S. Cyprian. relatus à S. Auguſt. *l.* 1. *de adulterin. conjugijs c.* 25. ob quod *Eſdræ* 1. *c.* 9. inter cœtera peccata populi Iſraël etiam hoc legimus, quòd accipientes filias alienigenas, ſeu Idololatras *commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarum.* Tùm quòd præter raram concordiam conjugum diverſæ Religionis præſentiſſimum periculum perverſionis immineat conjugi fideli; malæ quoque educationis prolium, ex tali matrimonio progenitarum &c.

Quapropter Dominus Deus, dum ſe adſtiturum Iſraëlitis promiſerat in expugnatione Amorrhæi, Chananæi, Hevæi &c. Regum Gentilium, inter reliqua præcepta Moyſi data *Exod.* 34 etiam hoc erat: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis* ob eam rationem: *ne poſtquàm ipſæ fornicatæ fuerint, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos*, id eſt, ad Idololatriam impiè ſeducant: *Idololatria namque, quam ſequuntur infideles, aut quælibet noxia ſuperſtitio fornicatio eſt*, dicit. S. Aug. *l.* 1. *de ſermone Domini c.* 16. Vanum autem timorem non fuiſſe, luculenter ſuò damnò probavit Salomon 3. *Reg.* 11. poſtquàm enim *adamavit mulieres alienigenas multas de gentibus*, de quibus præceperat Dominus filijs Iſraël: *non ingrediemini ad*

eas

eas &c. *certissimè enim pervertent corda vestra, ut sequamini Deos earum* &c. *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.*

164. Recordor hujus occasione Rabi Salomonis Jarchi, qui exponens illa verba *Num.* 25. *adoraverunt Deos earum*, recensèt modum, quô quædam ex mulieribus idololatricis usæ, Israëlitas ad cultum falsi Numinis seducebant: quam expositionem Caramuel *l.* 1. *Theol. fundam.* ita reponit. Cùm mulieres prurigine Veneris exstimularentur, accedebant ad Israëlitas dicentes: *habeo, quod tibi dicam, attende me, quæso!* & hôc dictô è sinu statuam Phegor producentes, ajebant: *adora hunc*: quô factô operi venereo se accingentes, Deastrum illum impudicum, & nefandum summo se honore illo actu afficere existimabant. Quia igitur concumbere cum *illis* erat Simulacrum illud adorare, Israëlitæ eô ipsô, quòd concubuerint, Idololatræ evaserunt. Sed hæc per parenthesim.

165. Non tantùm in veteri, sed etiam Lege Gratiæ reprobantur ejusmodi matrimonia: licèt enim nullibi expressis verbîs id legatur, unde, crederem, S Aug. *loc. cit.* dixisse: *Non enim tempore revelati Testamenti novi in Evangelio, vel*

vel ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo: utrùm Dominus prohibuerit, fideles infidelibus jungi. Patenter nihilominùs deducitur ex illo D. Pauli 2. *ad Cor. 6. Nolite jugum* (conjugij secundum D. Hieronym. *Ep. ad Geruntiam*) *ducere cum infidelibus: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? --- qui consensus templo Dei cum Idolis? vos enim estis Templum Dei vivi &c.* Si enim omne commercium cum infidelibus prohibetur, multò magis conjugale, quod cæteris arctius est, & intimius. Hinc *c. 15. xxiix. q. 1.* ex D. Ambr. *l. 1. de Abraham c. 9.* prohibetur: *Cave Christiane, Gentili, aut Judæo filiam tuam tradere.* & *c. si quis. eâdem. Si quis Judaicæ pravitati conjugali societate jungitur &c. quicumque tantum nefas admisisse cognoscitur, à Christiano cœtu, atque convivio, & à communione Ecclesiæ protinùs segregetur.*

166. Quamquàm autem ex his probetur quidem, similia matrimonia esse omninò illicita, sed non irrita: tùm quòd legatur, tempore S. Hieronymi ea practicata fuisse, ut ipse testatur *l. 1. in Jovinian:* tametsi non omnia approbentur, nihilominùs *DD.* uno ore fatentur, longo usu, receptâ observantiâ, & praxi (de cujus initio haud constat) irrita illa censeri

ſeri, & invalida. Immò P. Marchantius *tom. 3. Trib. Sacram. p. 3. tr. 1. tit. 6. q. 2. concluſ. ult.* credit, ſe in Concilij Generalis Nicœni I. *Canone* 67. non obſcuram talium matrimoniorũ reperire irritationem, quem vide, ſi placet: ſicut & alios, qui examinant, utrùm tale matrimoniũ haberet rationem Sacramenti, caſu quo per diſpenſationem Papalem juſtificaretur, ex ratione publici boni conceſſam (ob ſpem v. g. quòd Gentilis magnæ authoritatis per mulierem fidelem converteretur ad vivificam fidem) ſuppoſitâ tamen morali aſſecuratione, ne ipſa mulier perverſionis periculo ſupponatur. Vide, inquam, alios (præcipuè Maſtrium *in 4. d. 7. â n.* 35. ubi relatîs, & diſcuſſîs aliorum fundamentîs negativam opinionem propugnat) & ego ad ſequentia dubia propero, quæ directè mei ſunt propoſiti.

167. *Dubium I.* Utrùm *ille infidelium conjugum, qui ad fidem convertitur*, licitè alteri, in infidelitatis tenebris remanenti, cohabitare audeat: vel potiùs ab eo recedere debeat?

Ante Reſponſionem *præmitto I.* certum eſſe, conjugia infidelium inter ſe, tanquàm contractus merè civiles, & naturales, eſſe valida, dummodò non obſtet aliquod impedimentum, à jure Divino, quod

quod etiam infideles agnoſcunt, aut à Principe Terræ illorum ſtatutum; Princeps enim quemadmodum in alios civiles, ita etiam in matrimoniales infidelium cõtractus poteſtatem ſortitur, leges videlicet, quæ expedientes videntur, ferendi vel ſub pœna, vel ſub nullitate actûs. *II.* Illorum conjugia, quámvis ſint legitima, non tamen eſſe rata, vel firma ad mentem Eccleſiæ, claro textu *c. quantò. de Divort. Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum, & ratum exiſtit: quia Sacramentum fidei - - - - ratum efficit conjugij Sacramentum*, maxime conſummati, quod non niſi morte ſolvitur: cùm tamen infidelium etiam per unius conjugis converſionem diſſolvatur, ut *infrà* explicabo. Jam.

Reſpondeo: Olim licùiſſe cohabitare infideli conjugi præcisô periculô ſubverſionis, aut conjugis converſi, aut prolium, vel inductionis ad aliud peccatum (cùm enim hoc periculum ex præcepto Divino, & naturali caveri debeat, ſuppoſitô illô nunquam approbanda erat ea cohabitatio) ùt clarè indicat D. Paulus *1. ad Corinth. 7.* qui poſtquàm de conjugibus fidelibus loquens, propoſuiſſet præceptum Domini, *uxorem à viro non diſcedere*

dere : de illis, quorum unus tantùm fidelis est, alter autem infidelis, mox subjungit: *cæteris ego dico, non Dominus: si qui frater* (Christianus) *uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo* (in pace, concordia, sine contumelia Creatoris &c.) *non dimittat illam. Et si quæ mulier fidelis, habet virum infidelem* &c. idē, quod priùs. Quem textum applicans D. Aug. *l.* 1. *de adult. conjugijs c.* 13. relatus *can. Jam nunc.* 8. *xxviii. q.* 1. intelligit de consilio, quoad hoc ab Apostolo datō: *Quod mihi visum est, eum monendo dixisse: quia enim conjux fidelis relinquere conjugem licitè potuit infidelem: ideo fieri hoc non Dominus, sed Apostolus probibet* (dehortatur, ùt contextus indicat) *quod enim Dominus probibet, fieri omnino non licet. Monet ergo Apostolus, quò possit esse multorum occasio lucrandorum, ut fideles conjuges in relinquendis infidelibus permissâ licentiâ non utantur.* Et iterum: *Non igitur propter vinculum cum talibus servandum conjugale, sed ut acquirantur Christo, recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat* (dehortatur) *multa enim sunt non jubente Lege, sed libera charitate &c.*

Et quòd hoc motivum, à S. Augustin. insinuatum, Apostolum reverà moverit ad dandum id consilium, ille ipse declarat

l.

l. c. mox addens: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*, & vice versa: *sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, in quantùm ad preces, pia monita, & exempla conjugis fidelis benedictio quædam Divina descendit super infidelem, cor illius ad amplexum veræ fidei emolliens. Nec in eo desperandum est: etenim *unde scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? ibidem*, id est, scire minimè potes, infidelem conjugem ad salutare propositum fidei exemplô tui movendum non esse. Pergit Apostolus, & aliam sui consilij rationem allegat: *alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Jam enim erant parvuli Christiani* (explicat D. Aug. *l.* 1. *de serm. Domini in Monte c.* 16.) *qui sive auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant, quod non fieret, si uno credente dissociaretur conjugium* eô, quòd proles apud infidelem relictæ, ùt sæpissimè contingeret, in illius superstitione, & Gentilitate educarentur.

168. Verùm enim verò, cùm multiplex experientia docuerit, spem, que tempore Apostoli, & aliquibûs pòst sæculîs fundata erat, successu temporis evanuisse, & obstinatione infidelium crescente, evi-

dens

dens potiùs periculum succreviſſe, ne conjux, fidelis facta, inſtante altero ad vomitum iterum redeat, aut ad varia peccata seducatur: quidam ſiquidem Gentilium, Philiſtæos ſecuti, fornicationes, adulteria, & ipſas propudioſas libidines eſſe actus Religionis, cultui DEorum inſervientes delirant: Machometani quoque & multi Ethnici ex ſuæ ſectæ præſcriptô propudioſè abutuntur uxoribûs, quæ exemplô agri, ad omnem araturam apti, cuicumque libidini exponuntur: ut proinde vix detur caſus, in quo infidelis ſine contumelia Creatoris cohabitet fideli.

Quocirca abſolutè vetita eſt cohabitatio illa, aliàs pro ſuo tempore ab Apoſtolo ex gravibus motivis commendata. *Judæi, qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epiſcopo Civitatis ipſius, ut ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur, quòd ſi admoniti noluerint, ſeparentur. c.* 10. *cauſ. & q. citt. ſæpè* namque (*Can.* 11.) *malorum conſortia etiam bonos corrumpunt; quantò magis eos, qui ad vitia proni ſunt*, ùt Neophiti, vitijs prioris ſuperſtitionis aſſueti. Et quàmquàm hæc Lex ex Concilio Toletano IV. excerpta, Judæos ſolumodò concernere videatur: *pari* tamen *paſſu ambulant nunc utique, ſcilicet Gentiles, & Judæi,*

 quia

quia utrique obſtinati ſunt. Et ideo niſi uxor fidelis converti velit, non permittitur ei cohabitare, ſive ſit Gentilis, ſive Judæa. S. Thomas *in* 4. *d.* 3. *q. un. art.* 3. Quidquid in contrarium opinetur Marchant. *loc. cit. concluſ.* 5. docens, non tantùm licere eam cohabitationem, ſed inſuper ex lege charitatis proximi eſſe graviter obligatoriam, quatenùs fidelis tenetur infidelis ſalutem promovere, quod faciliùs præſtabit eidē cohabitando: ea namque ſpes, ùt oſtendi, vix ampliùs rationabilis videtur. Non nego tamen, in raro caſu talis ſpei poſſe, junctô conſiliô Epiſcopi, fidelem aliquo determinato tempore remanere apud infidelem, cùm nulla regula ſit ſine exceptione, & concedit Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 73.

169. *Dubium II.* Utrùm etiam diſſolvatur matrimonium quoad vinculum, dum unus infidelium conjugum fidem amplectitur? *Reſpondeo affirmativè* cum D. Paulo, qui *loc. cit.* ait.: *quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti* (matrimonij) *ſubjectus eſt frater, aut ſoror* (Chriſtianus, aut Chriſtiana) *in hujuſmodi* caſibus: id eſt, ſi infidelis nolit cōverti, nec ſine injuria Creatoris manere cum fideli, ſed diſceſſum potiùs eligat, diſcedat, & fidelis liber eſt à ſervitute con-

conjugij: *contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonij circa eum, qui relinquitur. c. 2. cauſ. & q. citt.* Quod perpendens Innocentius III. relatus *c. quantò. de Divort.* declarat.: *ſi alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, alterò vel nullò modò, vel non ſine blaſphœmia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit. Et in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus: ſi infidelis diſcedit &c.* (ùt ſuprà) *& Canonem etiam, in quo dicitur: contumelia creatoris &c.* (ùt pariter ſuprà) idem legitur *c. gaudemus. eôdem:* utique autem integrum fideli non eſſet, ad alia vota tranſire, ſi vinculum prioris matrimonij non exſpiraret. Aſt ad hujus intelligentiam.

170 *Quæres:* An vinculum matrimonij ceſſet hôc ipsô, quòd unus conjugum infidelium per Baptiſmum ad fidem perveniat? *Reſpondeo negativè* eô, quòd *crimina in baptiſmo ſolvuntur, non conjugia. c. ſi quis 1. cauſ. & q. citt.* concordat *c. gaudemus cit.* ibi. *cùm per Sacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur.* Sed ad ſolvendum vinculū requiritur ultrà, ut conjux converſus actu alias nuptias ineat, quod mihi evidens vi-

detur ex mox *cit. c.* ubi deciditur: *quòd si conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, antequàm propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur* Quare compelleretur recipere, aut quô fundamentô, si per ipsam conversionem viri extinctum foret vinculum conjugij? ergo antequàm ille ducat uxorem aliam, retinet vinculum ad priorem, & facultatem tantummodò habet *illud* extenuandi per hoc, quòd aliam ducat. In quo tantùm sensu accipi debet, quod cantat Glossa *in cit. c. Verb. contumelia.*

Spernas spernentem, vel blasphœmare volentem:

Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

Sunt rupta, quatenùs deperdunt eam indissolubilitatem, quàm alioquin naturâ suâ obtinent. Idcirco rectè deducit Sanchez *cit. d.* 75. antequàm conversus ad alia vota transeat, non posse infidelem aliud matrimonium inire: cùm Jura, *priori N.* adducta, eam potestatem illi tantùm faciant, *qui relinquitur* ab infideli, converti nolente. Tum quia ante secundas conversi conjugis nuptias firmum manet prius matrimonium, eô autem manente invalidũ est aliud ôb Polygamiam, â Christo reprobatam in Evangelio

Matth.

Matth. c. 19 Quapropter si post attentatum tale conjugium etiam infidelis ille converteretur ad fidem, teneretur relictô hôc secundô putativô conjuge ad priorem, antecedenter conversum, redire ex suppositio, quòd necdum ad alias nuptias transiverit, & illum rehabere velit. Sed de hôc ipsô.

171. *Interrogas*: An mox, quòd unus conjugum convertatur, habeat facultatem alias nuptias attentandi? *Respondeo*: cùm visum sit Innocentium III. declarâsse, eam facultatem pro casu, quô alter *vel nullô modô, vel non sine blasphœmia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum*, cohabitare vellet: multi sentiebant, conjugi converso non licere, per aliud conjugium prioris vinculum disrumpere, dum alter, etiam infidelis manens, sine blasphœmia Creatoris, aut alterius peccati incentivô ad pacificam se resolvit cohabitationem. *Verùm* quantùmvis hæc sententia speculativè vera, & in Jure fundata sit, in praxi tamen credo, à Sanchez *cit. d.* 74. *n.* 9 Pichler &c. nequaquàm recedendum, qui conjugem conversum ad alias nuptias admittunt, dummodò alter in amplectendo fidem, illius exemplô sequi renuat: quod suadetur ex dictis *N.*

168. de ingenti obstinatione infidelium, & odio in veram Religionem, ac varijs abusibus, & peccatis, quibus dediti sunt, & moraliter certum redditur, conjugem conversum ad eadem solicitandum, & impediendum ab ijs quoque, ad quæ Divino Jure obligantur. Et hanc sententiam esse in praxi, præcipuè pro locis Missionum expeditiorem, testatur P. A Breno *in Manuali Missionarior. Oriental. l. 3. c. 15. q. 1. n. 16.*

Quapropter dum unus ex conjugibus infidelibus veræ Religioni subscripserit, interrogandus alter erit (& consultò coram testibus, ne id aliquando negari possit) num & ille animum ad eandem Religionem habeat? si id neget, & hoc sanctum propositum detestetur: aut si tempus aliquod deliberationis requirat, quod utique concedendum est: post lapsum autem illius in obstinatione perseveret; sine cunctatione conversus conjux jus obtinet, sibi alium exquirendi conjugem. Quæ omnia, qualiter fieri debeant, prudentis viri arbitrio relinquuntur secundum circumstantias, in casu aliquo apparentes.

Sed quid, dum ob absentiam conjugis infidelis animus illius explorari nequit? *Respondeo*, rem posse per nuntium, aut

aut Litteras expediri : si verò distantia tanta sit, quæ omnem accessum impediet, & aliàs moraliter certum videatur, infidelem suam domum, substantiam, locum &c. non relicturum, ut fidelem sequatur, qui apud illum remanere non audet, *ùt suprà* dictum : admitti fidelis potest ad secunda vota ; durum namque illi jugum imponeretur, quod ab amplexu veræ fidei multùm absterreret, si altero redire nolente, aut alicubi, ubi ignoratur, latente, hic in cœlibatu vivere (non enim omnes capiunt verbum hoc) cogeretur. Pro pro ex Sanchez *cit. n.* 12. P. A Breno *l. c. n.* 43. allegat S. Pium V. qui id pro Indis novæ Hispaniæ proprio motu declaravit : de quo etiam extat Diploma Gregorij XIII. per extensum apud Ponce *tract. de matr. l.* 7. *c.*48. videndum.

172. Et quæ hucusque dicta sunt de potestate, quam conjux fidelis factus, possidet in ordine ad ineundū aliud matrimonium, intellige de potestate quoque ingrediendi Religionem, ita tamen, quòd prius matrimonium non dissolvatur per simplicem ingressum, sed per professionem solemnem, quæ etiam matrimonium ratum inter fideles dissolvit, licèt sit firmius consummatò infidelium. Quantùm verò ad Ordines sacros ; utique

potest conversus conjux ad illos promoveri, sed vinculum matrimonij prioris manebit, quod omne infidelis conjugis conjugium sub nullitate prohibet, donec alter Ordinibûs initiatus ê vivis non discesserit.

173. *Dubium III.* Quid in casu dicendum, quô talis conjux convertitur, qui plurium uxorum maritus est, quod minimè rarum apud Orientales? *Respondeo*: certum esse, non nisi Conjugium cum prima uxore legitimum reputari per ea, quæ dicam *de impedimento Ligaminis*; reliquas verò primæ superimpositas fœminas, tantummodò concubinas esse: unde si prima cum aliqua ex alijs illum in fide sequatur, illam tantùm recipere tenetur, nisi illi crimen adulterij objicere possit, & criminis injuriam necdum dimiserit, nec ille etiam tali reatu fidem matrimonij vicissim violaverit per tradita *in materia de Divortijs*, & clarè patet ex *c. gaudemus. de Divort.* Id tamen ita intellige, quòd primam ex uxoribus, adulterij ream, non quidem teneatur recipere, sed tamen aliam copulare sibi non audeat eô, quòd adulterium conjugis non dissolvat vinculum matrimonij: cùm igitur illud etiam non dissolvatur propter infidelitatem, quia uxor prima

ad

ad fidem conversa supponitur, ligatus manens cum prima utique nequit de alio conjugio cogitare. *Si* verò prima suo Gentilismo obstinatè adhæreat, integrum marito conversò est, aut unam ex concubinis conversis, aut aliam, quam libuerit, per contractum novi matrimonij in uxorem accipere: per hoc etenim, quòd tempore infidelitatis aliquam tenuerit, ùt concubinam, non impeditur ab illius nuptijs, cùm & ipsi fideles sibi concubinas per connubium sociare valeant.

174. *At si* dubium maneat, an cum prima contraxerit legitimum matrimonium per verum consensum, quid agendum? *Respondeo*: Urbanum VIII. interrogatum à P. Joan. de Lugo (postea Cardinale) de tali casu circa matrimonia Indorum Neophytorũ declarâsse, quòd post conversionem cum quacunque baptizata contrahere valeat, ùt referunt Pichler *in* 4. *Decret. tit.* 1. *n.* 100. & ex Cardena *Crisi propositi. damnat. ab Innoc. XI differt.* 2. *c.* 8. *art.* 5. P. A Breno *l. c. n.* 20. Item P. Nicolaus de Techo in Historia Paraquariæ *l.* 10. *c.* 15. apud Pichler *cit.* Ubi enim (ait Papa) intercedunt sententiæ utrinque probabiles (ùt in casu posito erant de vero consensu cum prima) sequi licitum est opinionem Barba-

ris illis favorabiliorem, quia non sunt adstringendi ad aliquam determinatam uxorem, dum incertum manet, utrùm illa sit reverà prima uxor per verum matrimonium: minùs prohibendi sunt ab omni matrimonio cum quacunque, ne propterea difficiles reddantur ad conversionem, aut ad vomitum infidelitatis redeant, videntes se ob dictam incertitudinem beneficiô matrimonij carere debere.

Nec obstat quòd prima sit fortassis vera uxor, quia à parte rei verus fuit consensus in illam, licèt de eo dubitetur: per consequens, si conversus postmodum aliam ducat, Polygamiam incurrat. *Siquidem* hæc Polygamia erit materialis tantùm, & ignorata, quæ non nocet, sicut nec alia impedimenta, quibûs non rarò conjuges ignoranter ligantur.

175. *Dubium IV.* Quid juris, dum è contrario unus ex conjugibus fidelibus ad Gentilitatis superstitionem prolaberetur? *Respondet* Innocentius III. relatus *c. cit. quantò. de Divort. Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad Gentilitatis errorem: non credimus, quòd in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licèt in hoc major appareat contume-*

tumelia Creatoris : quia matrimonium fidelium est indissolubile, præsertim consumatum. *Nec obstat --- quòd fidelis relictus non debeat jure suo sine culpa privari*, quod tamen fieret, si nec conjugem Apostatam retinere, nec de alio conjuge auderet sibi providere : destitueretur namque favore conjugij, nullâ ex parte sui interveniente culpâ. *Non obstat*, ait Papa ; *cùm in multis casibus hoc contingat*, e. g. si unus conjugum reddatur impotens &c. similia enim infortunia non nisi patienter sufferenda sunt, tamquàm ea, quæ remediô carent.

176 *Dubium V.* Quid cum prolibus, in infidelitate genitis, agendum, dum unus conjugum fidem amplectitur? *Respondeo* : si filij (vel filiæ) utpote septenniô minores, sint doli incapaces, *in favorem fidei Christianæ respondemus* (inquit Gregorius IX. *c. ex litteris. de convers. infidel.* relatus) *patri* (vel matri conversis) *puerum* (aut puellam) *assignandum*, non obstante, quòd secundum Leges civiles liberi aliàs sint sub potestate, & cura patris §. *fin. Inst. de patria potest* favor enim Religionis, & fidei bonum prævalet dispositioni juris Civilis : *nam summam esse rationem, quæ pro Religione facit*, dicitur *l. sunt personæ. ff. de Religios. & sumpt. funer.*

ner. concordat *c. Judæi xxiix. q.* 1. ubi legitur, in Concilio Tolet. IV. de prolibus Judæorum (per consequens etiam Gentilium ob identitatem rationis) decerni: *filij, qui ex talibus* id est, patre, & matre Judæis) *nati existunt, fidem, atque conditionem matris* (quæ ibidem conversa supponitur) *sequantur*: & vice versa: *hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem, non Judaicã superstitionem.* Quàmvis itaque quivis parens, etiam in infidelitate remanens, ex Lege Divina teneatur filijs suis non tantùm in necessarijs corporis, & vitæ præsto esse, sed ea etiam procurare, quæ ad æternam illorum salutem requiruntur, utì est Baptismus, & Chatholica fides: nihilominùs ad fidē conversus obligatur speciali lege Ecclesiastica ad laborare (in quo ab Episcopis, & Superioribus fidelibus strenuè juvandus erit) ut proles ad Baptismum perveniat, & in cultu veri DEI religiosè educatur: nisi vi, aut aliâ viâ ab executione sanctæ hujus obligationis prohibeatur.

Si verò filij (aut filiæ) dolũ jam noverint, ad majorem ætatem pervenientes, à parente converso ad fidem hortari quidem possunt, & quôcunque svavi modô, etiam minis moderatis induci, ad se per

Bap-

Baptiſmum ſalutari jugo veræ fidei ſubmittendum, id enim poſtulat cura, pietas, & amor parentum in filios, ex quibus ſaluti illorum invigilare tenentur: ſi tamen hujuſmodi media neutiquam ſuffragãtur, relinquendi ſunt propriô arbitriô, dum alteri parenti infideli adhærere decreverunt: cùm in ijs, quæ ad fidem pertinent, ultimatim ſint ſui juris, à poteſtate parentum exempti: *nam benefacere* (fidem amplecti, credere, baptizari) *nemo poteſt, niſi elegerit, niſi amaverit, quod eſt in libera voluntate*, ait S. Auguſt. *l. 2. c. 83. contra litteras Petiliani*, refertúrque *c. 33 xxiii. q. 5.* unde præmittit ibidem, quòd *ad fidem nullus cogendus eſt invitus: ſed per ſeveritatem, immò & per miſericordiam DEI tribulationum flagellis ſolet perfidia caſtigari*: cui doctrinæ adhæſit Concilium Toletan. IV *cit.* ſtatuens (ùt *c. 5. diſt. 45.* legitur) *nemini deinceps ad credendum vim inferri: cui enim vult Deus, miſeretur* (ad *Rom. c. 10.*) *& quem vult, indurat* &c.

177. *An* autem hi Canones abſolutè interdicant omnem coactionem ad fidem ita, ut nec Principes fideles audeant infideles ſibi ſubditos, & rationis uſum adeptos, vi, & metu ad fidem adſtringere: vi-

de

de Scholaſticos, & Theologos, maximè Scoti Expoſitores, qui 4. *d.* 4. *q.* 9. credit, *religiosè fieri, ſi ipſi* (adulti) *cogerentur minîs, & terroribûs ad ſuſcipiendum Baptiſmum:* non quidem minîs tendentibûs ad mortem: has enim D. Aug. *Epiſt.* 127. *ad Donatum Proconſulem Affricæ* diſsuadet in hujuſcemodi causâ: *poteſtatem occidendi te habere obliviſcaris:* ſed minîs in materia civili, aut exiliô, dum majus malum non timetur, ùt explicat Maſtrius *in* 4. *ſentent. diſp.* 2. *n.* 107. *& antecedentibûs:* quemadmodum conſtat exemplô Ferdinandi Hiſpaniarum Regis, qui Judæos, & Mauros, baptizari nolentes, ê Regno diſcedere juſſit. Vide item Lamindum Pritanium *de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio,* qui *l.* 2. per aliquot Capita contra inſultus, & cenſuras Phereponi egregiè, & nervosè defendit, & explicat D. Auguſtinum, ſentientem ſalutares, & laudabiles eſſe terrores, & caſtigationum flagella contra Hæreticos, & infideles, citra mortem moderatè, & prudenter intentata, ut ad gremium Eccleſiæ accedant, aut redeant. Mihi etenim non vacat his ultra propoſitum immorari.

§.

§. II.

Examinantur matrimonia Catholicorum cum Acatholicis.

178 MAtrimoniũ Catholici cum Hæretico, aut ê contra claro Jure iliicltũ redditur *c.* 15. *xxiix. q.* 1. ubi ex S. Ambros. *l. de Patriarchis* prohibetur: *Cave, Gentilem, Judæam, atque alienigenam, hoc eſt hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem accerſas tibi:* & *c. ſeq. Non oportet cum hominibus hæreticis miſcere connubia*, cùm id etiam Jure naturali, & Divino vetitum ſit propter evidens periculum perverſionis in conjuge catholico, & ne impediatur ab obſervatione præceptorum Eccleſiaſticorum: ne proles inde natæ educentur in hæreſi: & denique (quia conjuges ſunt miniſtri Sacramenti matrimonij) ne à catholico conjuge Sacramentum indigno miniſtretur hæretico. *Accedit*, quòd plerumque hæretici interponant pactum, aut ſaltem ſubintelligant, ut maſculæ proles ſequantur conditionem patris hæretici, & in illius ſecta educentur, fœmellîs matris catholicæ curæ relictîs, quod pactum eſt in omni jure abominabile, & impium: cùm quivis parentum teneatur liberis ſuis non tantùm de neceſſarijs corporis, ſed animæ etiam

etiam providere, & nec unum in favorē Diaboli educare. Quapropter monent *DD.* Dominos Parochos, ut pro viribus resistant, séque opponant hujusce modi matrimonijs.

179 *Ergóne* nunquàm licita sunt talia conjugia? *Respondeo:* apparente dicto periculo numquàm: nec in partibus Germaniæ, in quibus catholici cum Sectarijs promiscuè morantur: quia, ùt DD. Germani Reiffenst. 4. *Decret tit.* 1. *n.* 371. Sporer *de matr. n.* 119. Pichler 4. *tit. n.* 130. aliíque notant, experientiâ edocti, in illis quoque locis non deêsse similia pericula. *Nec obstat* contraria praxis, & consuetudo, quâ passim catholici cum hæreticis ibidem copulantur. Consuetudo *siquidem* derogare potest Legi Ecclesiasticæ, ejusmodi connubia vetantis, non tamen Legi Divinæ, & naturali, quæ ratione periculorum emanatorum subintrat, nam *nemo sanæ mentis intelligit, naturali juri* (*cujus transgressio periculum salutis inducit*) *quacunque consuetudine* (*quæ dicenda est verius in hac parte corruptela*) *posse aliquatenùs derogari. c. cùm tantò, de consuetud.*

In raro nihilominùs casu, quo sufficienter cautum fuerit, quòd Hæreticus velit admittere omnium prolium educationem

tionem in vera fide, & futuræ suæ uxori liberum Religionis exercitium, observantiam Festorum, & Jejuniorum Ecclesiasticorum &c. legitimari posset tale matrimonium, tanquàm licitum: quàmvis enim lex Ecclesiæ absolutè prohibeat similia matrimonia: huic tamen in locis mixtæ Religionis abrogatum esse docent Pichler *cit.* & alij per contrarium usum. Et si dubium adhuc remaneat de cessatione ejusmodi periculorum, recurrendū arbitror cum *citato* Authore vel ad Papam, vel ad Episcopum, qui in Germania dare potest ad id facultatem, præsertim rationabili, & gravi causa suadente, dum v. g. spes adluceret, maritum hæreticum convertendi, sopiendi intensas inimicitias, conservandi, aut procurandi pacem, & tranquillitatem publicam, aut conspicuarum familiarum: vel dum fœmina catholica non reperit conjugem paris conditionis, nisi hæreticum &c. si enim ob similia motiva utilis fit recursus ad Sedem Apostolicam pro dispensatione super impedimentis dirimentibus, multò magis pro dispensatione super impedimento impediente duntaxat, ne matrimonium licitè contrahatur.

180. Immò absque omni dispensatione impunè celebratur tale matrimo-

nium, dum conjux hæreticus promittit, se professionem fidei emissurum, textu claro *c.* 16. *suprà cit.* ubi, poqstuàm matrimonia prohibentur cum acatholicis, excipitur: *si se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholicos*: & in Concilio Chalcedon. *can.* 14. *nisi fortè promittat* (heterodoxus) *ad orthodoxam fidem se per personæ orthodoxæ copulam transferre.* Ex una enim parte urget lucrum conversionis heterodoxi, & ex altera cessat periculum perversionis in orthodoxo.

Porrò benè nota, Jura dicere: *profiteantur, promittant*, ut indicarent, non sufficere meram spem conversionis, sed requiri veram promissionem. Quin immò cùm constet, hæreticos, cæteroquin fideles etiam, hac in parte sæpè numerò fallaces esse, prudenter & providè monet P. Reiffenst. *cit. n.* 364. ex Layman *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 14. cautè procedendum, nec passim ejusmodi promissionibus fidendum, sed omni modo adlaborandum potiùs esse, ut hæreticus catholicam ducere volens, antecedenter fidem Romanam profiteatur. Et si id renuat ob damnum aliquod, vel incommoda, quæ timet (v. g. privationem hæreditatis notabilis &c. si ad notitiam parentum ab illo emissa professio fidei pervenerit) adest modus

talia

talia damna vitandi, ut videlicet id faciat in occulto sub gravi secreto. Et profectò si huic consilio non acquiescat, vix fidem meretur de sincero desiderio, & proposito fidei suscipiendæ: ad quid enim dilationem prætendit, qui nullum damnum metuit?

181. Quamquàm ex hucusque dictis per se sint illicita matrimonia catholicos inter, & hæreticos, nec nisi in quibusdam casibus per accidens licita, nunquàm tamen sunt invalida, *dummodò* (NB.) *non infirmentur ab aliquo impedimento sive naturali, & Divinò, sive merè Ecclesiastico;* cùm id nullo jure, traditione, aut consuetudine probetur, sed ea potiùs valori illorum patrocinentur ob frequentissimam praxim, quæ necdum reprobata legitur, nec ullibi conjuges separari jubentur: unde etiam *c. decrevit.* 16. *de hæreticis in 6.* supponuntur catholicæ mulieres validè nubere hæreticis viris, nec separantur, sed dote duntaxat privantur.

Urgeret quidem in oppositum *Can.* 72. qui dicitur esse VI Synodi generalis: *Non licere orthodoxũ cum hæretica conjungi, nec orthodoxam cum hæretico: sed & si quid ejusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.* Ast quia hic, & quidam alij Canones

non sunt ab illa Synodo editi, sed à quibusdam Episcopis tantùm, in Trullo Palatio Regio (unde & *Trulliani* dicti) cõgregatîs, postmodum verò à Sergio Papa reprobati: non est citatus Canon attendendus, qui, si etiam authenticus foret, per contrariam praxim, & sensum omnium catholicorum omnimodè evanuit.

Dixi suprà: *dummodò non infirmentur ab aliquo impedimento &c.* hoc siquidem irritat conjugia, etiamsi sit lege Ecclesiæ statutum: quia licèt hæreticus non ligaretur impedimentô ab Ecclesia statutô, ligatur tamen catholicus, redditúrque inhabilis; cùm ergo contractus matrimonij nequeat claudicare, seu in uno contrahentium valere, non in altero, satis est, quòd catholicus ex tali impedimento reddatur impotens ad contrahendum. Ex quo *sequitur*, matrimonium catholici, votô solemni castitatis adstricti, cum hæretico: aut si huic esset in secundo gradu consanguineus, vel affinis &c. esse nullum, non quidem ex disparitate cultûs, sed ex impedimento voti, cognationis &c.

182. *Si tandẽ quæras*, quid de matrimonijs hæreticorũ inter se judicandũ? *Respondeo:* Ea, si sine omni impedimento

con-

contrahantur, esse non tantùm vera, & legitima matrimonia, utpote nullo Jure infirmata, sed etiam Sacramenta, dummodò contrahantur secundum Christi institutionem, licèt hæretici non credant esse Sacramenta: quemadmodum *Theologi* defendunt, Baptismum v. g. ab Infideli ministratum cum intentione faciendi id, quod Christiani solent, obtinere rationem Sacramenti, quàmvis ille ex suo errore esse inutilem reputet cœremoniã. Si contrahantur cum impedimento Juris Divini, & naturalis, nulla sunt, quia huic juri subsunt. Si denique contrahantur cum aliquo impedimento, ab Ecclesia duntaxat introductô, variant *DD.* Quidam affirmant, hæreticos etiamnum ligari impedimentîs Ecclesiasticîs; negant alij saltem quoad aliqua impedimenta. Quidquid sit, hæc difficultas est una ex præcipuis, quæ ventilari solent agendo *de Impedimentis in genere.* Præsens autem Tractatus considerat singula tantùm impedimenta in specie; unde Lectorem remitto ad alios, & pro negativa sententia commendo P. Marchantium *tom.* 3. *Trib. Sacram. p.* 3. *tract.* 1. *tit.* 6. *q.* 4. & P. Pichler *l. c. à n.* 98. qui plurimùm placent in proposito. Vide etiam dicenda *de impedim. Clandestinit.*

§. III.

Resolvitur casus de matrimonio Catholicæ cum Hæretico.

MOevia puella catholica Viennâ augustam Vindelicorum secuta est Stichũ virum acatholicũ. Tentat ibidem matrimonium cum illo, sed quia voti compos fieri non potuit, diu morata tandem sponsit, proles omnes nascituras Sticho relinquendas, cura catholicæ educationis à se abdicatâ: firmiter nihilominùs sperans, non defuturam quandoque occasionem, sponsione sua, & pacto non obstante, saluti prolium invigilandi. Præterlapso tempore aliquo, vehementiùs tactâ conscientiâ, accedit confessarium, rem totam enarrat, & quid sibi agendũ, quærit.

183. *Respondeo*: Mœviam peccâsse mortaliter non, quòd contra præceptum Ecclesiæ, conjugia cum hæreticis simpliciter vetantis, hæretico nupserit, cùm huic legi per contrarium usum in Partibus mixtæ Religionis derogatum esse cõstet ex *N.* 179. sed quia nupsit contra jus Divinum, & naturale, se exponendo manifesto periculo perversionis, & transgressionis præcepti Ecclesiæ, v. g. non servandi jejunia, non audiendi Missam &c. cùm moraliter certum sit, aut maritum

tum omnia non admissurum, aut ad ea occasionem defuturam. Item quia impium pactum iniit, de prolibus, in Luteri hæresi à marito educandis per dicta *N.* 178 *Nec refert*, quòd animum retinuerit, invigilandi prolibus, illísque quavis arrepta occasione catholicæ fidei dogmata propinandi *Nam* semper manet gravissimum periculum malæ illarum educationis, maximè propter pactum initum: ex altera verò parte valdè dubia est occasio proles in vera fide instruendi; & quis scit, an furtiva instructione, dum, & quando clanculum adhibitâ, quidquam profecerit? cùm igitur nunquàm liceat cum dubia spe boni se, vel alium exponere certo periculo salutis, Mœvia â lethali peccato nullatenùs excusari potest.

184. *Quid ergo* consulendū Mœviæ? *Respondeo*, eam ante omnia firmandam in vera fide, ac roborandam, ut stante quacunque tentatione, solicitatione, blãdimentîs, aut terroribûs viriliter persistat, ab omni Apostasia aliena: instrui quoque debet de obligatione deferendi etiam maritum, sibíque fugâ consulendi, dum periculum defectionis à fide adverterit, ùt puta, si solicitationes fuerint importunæ, quibus fœminea fragilitas impar est ut resistat: semper namque co-

habitationi conjugali prævalet Lex Divina non deserendæ fidei, ùt ampliùs docetur in *materia de Divortijs*. Admoneri deinde debet, ut, *quantum possibile fuerit*, præceptis Ecclesiæ satisfaciat quoad jejunia, auditionem missæ diebûs Festivîs, frequentationem Sacramentorum &c. Unà quoque invigilare studeat saluti proli, haud obstante pactô prædictô, quod nullam obligationem parit: *generaliter* siquidem *novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti*, ait Ulpianus *l. generaliter ff. de verbis obligat.* & quod tales conditiones, contractui matrimoniali appositæ *debeant pro non adjectis haberi*, decernitur *c. fin. de condition. appositis in &c.*

Dixi verò: *quantùm possibile fuerit*: si enim ad servandam pacem, amorem conjugalem, aliáque incommoda vitanda præcepta merè Ecclesiastica redderentur observatu difficilia, quàmvis peccaverit, se per matrimonij vinculum cum hæretico, ad talem statum reponendo, in quo observantia præceptorum, quasi moraliter impossibilis redditur: ad ea tamen non obligatur ex generali principio, quòd Ecclesia pia Mater cum tanta difficultate suos subditos onerare non intendat secundum *communem* doctrinam Theologorum. Ob easdem similiter rationes non te-

tenetur instructioni salutari prolium incumbere, licèt ad eam Divino jure, & ex naturali pietate obligetur: nunquàm quidem licitum est præceptum Divinum positivè prævaricare: at licitum quandoque est urgente gravi necessitate omittere aliquid illo jure obligatorium (vide P. Sporer *de matrim. n.* 120.) quemadmodum etiam impunè aliquando occultatur vera fides, sed falsam profiteri nunquàm licèt &c. quod fundatur in discrimine Legum positivarum, seu affirmativarum â negativis, videlicet has obligare semper, & pro semper, illas verò semper quidem, sed non pro semper.

185 *Dubitabis adhuc* in fine: utrùm possit defendi, matrimonium Mœviæ esse irritum propter adjectum pactum de prolibus hæreticè educandis, cùm sit contra bonum illarum, & ex *c. ult. de condit. appositis* &c. constet, conditiones bono prolis adversantes, si contractui conjugali adjiciantur, esse annullativas illius? *Respondeo*: ita quidem opinari P. Schmier *de sponsal. & matrim. p.* 3. *c.* 5. *n.* 57. Attamen oppositum omninò dicendum cum *communissima DD.* propter praxim universalem in locis hæreticorũ: nam sciuntur matrimonia cum illo pacto, nec unquàm irritantur, sive â hæreticis

cum catholicis, sive ab illis inter se inita. Sed nec ullum Jus similia matrimonia declarat esse invalida: siquidem *cit. cap.* loquitur de bono prolis naturalis tantùm, ita enim sonat: *si conditiones contra substantiam conjugij inserantur: puta, si alter dicat alteri: contrabo tecum, si generationem prolis evites &c. matrimonialis contractus, quomodocumque sit favorabilis, caret effectu:* nam cùm sermo sit de conditionibus substantiæ conjugij oppositis, & exemplificetur in evitatione generationis prolis, manifestè sequitur, eam tantùm conditionem annullare conjugium, quæ repugnat bono naturali illius hôc ipsô, quòd damnum spirituale prolis, ùt educatio in hæresi, non sit contra substantiam, & finem essentialem conjugij, benè verò positivè impedire generationem. P. Pichler 4. *tit.* 1. *n.* 131.

Vis, *seu* Metus

§. I.

Explicatio Vis, *seu* Metûs.

186. VIs est *majoris rei impetus, qui repelli non potest. L.* 2 *ff. de eo, quod metûs causâ &c.* qualem patitur e. g. qui in carcere nolens detinetur: aut cu-

cujus manus Tyrañus movet ad incensandum Idolum, aut genua ad adorandũ incurvat. Metus verò est *instantis periculi, vel futuri mentis trepidatio. L. 1. ff. cit.* ex qua trepidatione ob malum, quod imminere, aut futurum prævidetur, voluntas eligit potiùs aliquid aliàs ingratum, ut illud malum subterfugiat. Exemplum usitatum est in eo, qui periculum naufragij experitur; non enim merces suas ad mare ejiceret ad navim alleviandam, nisi submersionem timeret.

Claret itaque in eo differre vim à metu, quòd illa omne voluntarium excludat, & cui ea infertur, *magis pati, quàm agere convincitur. c. sacris est. 5. de his, quæ vi &c.* nec ullius culpæ reus efficitur. Econtrà est in metum passo; licèt enim gravis mali timor fortiter impellat ad quidquam agendum, & quæque etiam difficillima superantur, dum

Dat stimulos animo vis mœsta timoris.

Statius

quia tamen metu gestum voluntate geritur, & quidem liberâ, quatenùs mavult aliquid eligere, quàm malum, quòd metuit, experiri: hinc *licèt metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus tollit. c. cit.* quia voluntarium simpliciter relinquit, quod S. Aug. relatus *c. meritò 1. xv. q. 1.* ex-

exemplificat de perjurio, ad quod quis sub cominatione gravis mali compellitur, perdendæ v. g. vitæ, nec propterea à culpa lethali excusatur, quia simpliciter vult pejerare eô, quòd velit vivere, *& ideo non per seipsum appetendo, ut falsum juret, sed ut falsum jurando vivat.*

187. Nihilominus hæc differentiâ metus à vi, quæ *cit.* 1. *sacris.* observatur, non obstante, pro eodem sumi solent, & confundi, ùt *c. ad audientiam. eôd.* ibi. *quæ vi, metúsve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis.* & *c. Abbas. eôd.* quô casu vis latiorem significationem admittit, violentiæ scilicet non absolutæ, sed conditionalis: ùt *te carceri mancipabo, si hoc facere nolueris* &c. Et in hoc sensu pro eodem etiam ad præsens sumuntur.

188. Metus dividitur in gravem, & levem. *Gravis* oritur ex comminatione gravis mali, quòd quia cordatum etiam commovere potest, & alioquin constantem, *justus* metus dicitur, & *cadens in virum constantem*, pro cujus pleniori captu

Notanda est varietas malorum, quorum quædam sunt absolutè gravia, ùt mors, mutilatio, quævis notabilis afflictio corporis per verberationem, squalorem diuturni carceris: servitus, infamia, amissio

missio patrimonij, vel magnæ partis bonorum, stuprum, indignatio Principis, excommunicatio &c. quæ, & similia recensèt, & per extensum ponderat Sanchez *l. 4. de matr. d. 5.* per totum. Alia verò sunt respectivè tantùm talia, seu in ordine ad quoddam genus hominum: negari namque haud potest, ad graviter terrendum aliquem opus non esse ejus mali comminatione, cujus requiritur ad incutiendum timorem alteri. Sic amissio 100. flor. parùm curatur â divite, multùm ab illo, qui majorem possessionem vix numerat. Iram magni Domini, & Potentis despicit unus, sed plurimùm cavet alter, qui se ab illo dependere agnoscit &c. Unde *communiter* notant *DD.* majus malum requiri ad causandum gravem metum in viro, quàm fœmina, regulariter loquendo: majus in forti, quàm debili: majus in fœmina *virili*, quàm juvene, verecundâ: sícque dictum illud, *gravem metum esse cadentem in virum constantem*, non est ad litteram accipiendum, sed accomodè ad varietatem personarum, quibus timor incutitur. Et reverà, si malum, quod de se minus est, æquè concutit animum debilioris, àc illud, quod majus est, animum fortioris, cur non deberet utrumque gravitatis notâ signari?

Que-

189. Quemadmodum verò gravitas metûs mensuratur à gravitate mali secundum dicta, quod si nec absolutè, nec respective grave sit, ad metum notabilem non sufficit: ita quoque mensuratur ab eo, quòd malum illud probabiliter immineat, ùt post Scotum 4. *d.* 29. *q. un.* notant *DD.* universim: cùm enim rationabiliter timeri nequeat malum illud, quod probabiliter nunquàm sequetur, timor illius vanæ potiùs suspicionis, quã metûs gravis nomen meretur, de quo tamen exactiùs §. *seq.*

Perinde autem est, sive malum grave immineat mihi, sive alicui ex consanguineis meis, qui ex unitate sanguinis unum quid mecum sunt, illorúmque infortunia mea esse censentur *arg. c. sciant cuncti. de elect. in* 6. Quinimmò idem intelligendum de amico meo, sed intimiore, de quo affirmare valeo, quòd sit *alter ego*: si namque tantæ utilitatis in consilio, auxilio &c. esse possit fidelis amicus, ut referente Caramuele *in Theol. Regul.* Plautus *in Epidico Act.* 1. *Scen.* 2. arbitretur,

Homini amico, qui est amicus ita, ut nomen possidet,
Nisi DEos, nihil præstare ei.

quídni mala illius meritò meum quoque animum concutere nata sunt, & eò vehementiùs, quò fuerint graviora?

Jam per oppositum liquet, quis sit metus *levis*, ille nimirum, cui aliquid ex recensitis deesse cognoscitur, ùt si & absolutè, & respectivè leve malum pro objecto habeat; vel grave quidem, sed quod aut fundatè non timetur, quia reverà non instat, nec futurum est: aut si instat, sed facilis datur evadendi modus: vel denique ferit tertium quendam, qui nec titulô sanguinis, nec specialis amicitiæ meus est.

190. Duplici huic metui accedit tertius, *reverentialis* dictus, & fundatus in reverentia, honore, & pietate inferiorum erga Majores: illi enim justè timere quandoque debent, ne honorem, & pietatis leges transcendant, omittendo, vel faciendo aliquid, ex quo Majores se offensos conqueri possent. Et hic timor locum habet in Vasallo, servo, filio respectu Principis, Domini, patris &c. Vide dicenda *N.* 206.

191. Quilibet ex his metibus provenit vel ab *intrinseco*, id est, à causa aliqua naturali, vel supernaturali, ùt est metus tempestatis, infirmitatis, læsæ conscientiæ &c. Vel *ab extrinseco*, id est, à causa extrinseca, & libera, ùt ab homine, qui malum minatur, nisi quidquam feceris. Et si habet jus ad inferendum illud malum

lum, est metus *justus*, ut si tuum crimen ad Judicem deferre velit, nisi aureum dones. Si verò temerariè, & malitiosè malum causare attentet, ùt si crimina fingat, ad te coram Judice divexandum, si donum postulatum dare recuses: utique metum *injustum* pateris. Ultrà denique de se clarum est, posse eum metum dirigi *directè ad extorquendum consensum* tuum, ad faciendam e. g. in casu posito, donationem: vel *ad alium finem*: ùt si minetur accusationem tui ex vindicta, nullum aliud interesse intendens, sed tu ad redimendam vexam, quam metuis, porrigis aureum. Quæ omnia ad propositum. & praxim §. *seq.* per extensum applicata vide.

§. II.

Impedimentum Vis, *seu* Metûs.

192. CUm æquum, & justũ sit, injusto metu gravatos juvare, & succurrere pauperibus, ac inferioribus, ne à Potentioribus, per contractus non sine injuria extortos, opprimãtur, & damnum subeant: in utroque Jure sanctè, & providè sancitum est, ut contractus gravi metu celebrati, & injustô, licèt sint validi de Jure naturæ, tanquàm simpliciter voluntarij per dicta *N.* 186. quia tamen pleNa

na libertate destituuntur, & metum injuriosum approbare bonis moribus adversetur juxta *l. 117. ff. de R. I. Nihil consensui tam contrarium, quàm vis, & metus, quem comprobare contra bonos mores est*: idcirco hujusmodi contractus omni soliditate carent, & ad instantiam metum passi rescissioni sunt obnoxij: *quæ metu vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari c. Abbas. de ijs, quæ vi, metúsve &c* quocirca *l. metum autem. ff. de eo, quod metûs causâ*, decernitur, ut metum passis, *sive perfecta, sive imperfecta res sit* (traditio rei facit perfectum, & completum contractû) *& actio, & exceptio detur*, quæ etiam *quod metûs causâ* intitulatur, de qua fusè Legistæ.

193. Aliud erat necessarium in contractu matrimonij: cùm etenim semel validus, sit naturâ suâ perpetuus, & omnem dissolutionem, maximè post consummationem, refugiat: ut ab eo omnis injuria, ex gravi, & injusto metu, arceatur, servatâ plenâ, & perfectâ libertate, legitur *c. veniens c. consultationi tuæ, de sponsal.* matrimonium metu, mox explicandô, initum esse nullum, & invalidum. Notabilis est textus *c. 14. eôd.* ex Alexandro III. Episcopo Papiensi rescribente: *cùm locum non habeat consensus*

(perfectè, seu civiliter voluntarius) *ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur: & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit,* & *sequatur exitus* (malus) *qui de invitis nuptijs solet provenire*, & significatur ab Urbano II. *c. de neptis 3. xxxi. q. 2.* dicente: *quorum unum corpus est, unus debet esse & animus, ne fortè virgo* (mulier) *cum fuerit alicui invita* (per metum inducta) *copulata, contra Domini, Apostolique præceptum aut reatum dissidij, aut crimen fornicationis incurrat:* quod enim quis non diligit, facilè contemnit, & fœmina, tenerioris dilectionis vinculô non unita marito, se alteri prostituere solet, sicut & maritus alijs adhærere, ni singulari amore uxoris contineatur.

194. Porrò ad effectum annullandi matrimonium requiritur metus *I.* gravis: *metum Labeo accipiendum ait, non quemlibet timorem, sed majoris mali* (*L. metum. 5. ff. de eo, quod vi &c.*) id est *magni*, capiendo comparativū pro positivo, ùt ex alijs textibus colligitur. Debet ergo malum illud probabiliter timeri, alioquin metus non con-

constituetur gravis per dicta §. *priore. II.* Ab extrinseco incussus directè ad extorquendum matrimonium : siquidem ortus ab intrinseco, v. g. â remorsu conscientiæ jubentis, eam, quam sub promissione matrimonij violâsti, ducere: non est injuriosus, sponte enim te obligâsti. Similiter, si inimicus minatur mortem ex odio, vindicta &c. quam ut declines, te offers ad ducendam filiam, aut neptim illius: non es coactus ad matrimonium, quod tu tantùm sponte elegisti, tanquàm medium effugiendæ mortis.

III. Injustus: si namque Judex vi officij sui jubente æquitate, & Lege te ad ducendam aliquam compellat, nullam irrogat injuriam, nec te propriè cogit, sed urget obligationis, quâ aliunde teneris, executionem. Mirum reverà foret, si Judex de Jure te ad matrimonium adstringere deberet, matrimonium verò foret *ipso Jure* nullum ! Item si tuum delictum grave gravi quoque pœna plectere velit, tu verò promittis ducere filiam ejus, sperans condonationem pœnæ, non diceris coactus ad matrimonium, sed illud tantùm offerre in præmium condonationis, ùt benè discurrit Sanchez *l. 2. d. 13. dn. 3.* Immò re benè considerata, metus non provenit à Judice, sed à tuo delicto

juxta illud Sapientis effatum : *fugit impius nemine persequente. Prov.* 28. & probavit Tiberius, qui narrante Tacito *lib.* 7. *Annal. noctis medio per silentium defixus, sæpiùs pavore exurgens, & mentis inops lucem operiebatur, tanquàm exitium allaturam :* & nec fortunâ supremæ dignitatis, nec solitudine protegi potuit, *quin tormenta pectoris, suásque ipse pœnas fateretur*, quas ex inquietudine delictorum in animo sentiebat. Sed in dignoscenda gravitate metûs.

195. Attendendum, quòd sicut ex *L.* 2. *de homicid. in excessibus non solùm quãtitas delicti, sed & ætas, & sexus delinquentium sunt attendenda :* ita ad gravitatem timoris concludendã, non mali duntaxat, quod imminere dicitur, sed ætatis etiam, imbecillitatis, debilitatis, & sexûs habenda ratio *arg. L.* 3 *ff. ex quibus causis majores*, ubi metus *ex affectu ejus*, qui illum patitur, id est, ex animo, & complexione mensuratur, per dicta *N.* 188. Unde Rota *p.* 16. *decis.* 38. *n.* 9. *& seq.* apud Clericatum *inter Discord. forens. civil. discordiã* 55. *n.* 11. accuratè monet : *ad effectum annullandi matrimonium, metu contractum à muliere, non tantum timoris in ista ratione imbecillioris sexûs, quantum in viro requiritur.*

In

196. In hujus conformitate *sequitur*: quemadmodum malum non est necessariò absolutè grave, sed proportionatè, & accomodè ad personam, ita etiã dictum illud ex *N.* 189. quòd videlicet probabile esse debeat, malum imminere, & instare, non est simpliciter, & absolutè intelligendum: cordati enim, & constantes, ac fortes animi solẽt, antequàm timore superati moveantur ad quidquàm agendum, quod alioquin displicet, exactè perpendere, utrùm is, qui malum minatur, assuetus sit, minas executioni mandare? an non detur modus illas aliunde evadendi &c. ùt rectè notat Sanchez *cit. d.* 3. *n.* 5. cum alijs. Cœterùm autem ejusmodi discussiones, & ratiocinia â timidis, debilibus, mulierculis, puellis, maximè verecundis &c. minimè expectari possunt: natura enim eorum, aut earum audita *severa* cõminatione *mali* vehementer mox concutitur, & forti apprehensione suborta inducitur ad id, quod in esse quieto, & sibi relicta nequaquàm amplecteretur. Quapropter cùm intantũ diminuatur voluntarium in similibus ex timore mali, licèt illud in se grave non sit, aut si sit tale, haud tamẽ verosimile, illud instare, & inevitabile esse; quantum in fortioribus minuitur ex malo absolutè

gravi, & certitudinaliter instante; æquitas postulat, ut sicut posteriorum matrimonia ex defectu perfecti voluntarij declarantur nulla, ita etiam ob eandem rationem declarentur matrimonia priorum, ùt prudenter notat Clericatus *cit. n.* 10. & alij, fundatúrque in eo principio, quòd malum, sicut & quodlibet aliud objectum moveat voluntatem, secundum quod apprehenditur: dum igitur aliquod apprehenditur ùt grave, quàmvis tale nõ sit, æquè minuit voluntarium, àc illud, quod à parte rei tale esse constat. Sporer *de matrim. n.* 15 unde Rota *cit. n.* 4. *Quinimmò absque alia probatione sola suspicio in animo apprehensa, quòd minas pater exequi potuerit, habetur pro justo metu* in filia tenera, & verecunda. Et ipse Scotus *l. c.* qui gravem metum esse ait, *quando* quisquam *non levi æstimatione, sed certitudinaliter, saltem certitudine sufficiente in actibus humanis scit, malum sibi inferendum*, exemplificat *de homine virtuoso*, implicitè subindicans, in alio magna virtute, & robore destitutô, eam certitudinem minimè necessariam esse. Atque hæc sunt benè notanda.

197. *Sed quid* de blanditijs, precibus importunis, & metu reverentiali sentiendum? *Respond. communiorem*, ac *veriorem*

rem docere ſententiam, ea ſe ſolis, & ſeparatim non æquiparari metui gravi, nec annullare matrimonium: cùm non videantur tantæ efficaciæ eſſe, ut moverent ad matrimonium, quod ſecundum ſe ſimpliciter diſplicet. Nec adeò difficile appareret, patri, vel Superiori, proponenti matrimonium, illúdque ſuadenti contradicere: & quidem ſine magna læſione reverentiæ cæteroquin debitæ; experientia inſuper probat, id à filijs, ſubditis &c. ſæpiùs impunè factum. *Confirmatur* quoque paritate profeſſionis religioſæ, quam recenſita annullare nequeunt, utpote gravem metum minimè inducentia, per tradita, & variis Juribûs roborata à Reiff. *in* 1. *tit.* 4. *à n.* 93. Idque præſertim verificatur de inductione per blanditias, in qua juxta Scotum *l. c.* & rei veritatem *eſt multum de voluntario, & parum de involuntario*: blandimenta ſiquidem ſuaviter, & abſque violentia alliciunt animum: ordinarius quoque mos eſt, blanditiis conciliare corda ad finem matrimonij.

198. Dixi ſuprà: *ſe ſolis, & ſeparatim non æquiparari metui gravi.* Certum equidem videtur *I.* blanditias palliatas eſſe valdè periculoſas, & gravioris mali quandoque inductivas. Non enim adeo inſolitum, ut Princeps, Superior &c. blandi-

endo movere animum ſubditi nitatur, paratus interim ad ſæviora deſcendere, dum nihil efficere poſſet: nam credunt aliquando ſimiles, ſe vilipendi, & deſpici, ſi blandè etiam procedentes contradictionem in ſubditis animadvertant. Quocirca, dum aliquod indicium apparuerit, Superiorem tenacis in propoſitis ſuis eſſe animi, ambitioſum, & proprio honori nimis ſtudentem: rationabiliter graviora inde ſecutura mala timeri poſſunt. Maximè, ſi exemplum adfuerit, Dominum hunc, Superiorem &c. aliquando cum alijs eò modò proceſſiſſe ad manutenendū, & effectuandum propoſitum ſemel conceptum: *felix* enim: *quem faciunt aliena pericula cautum.*

199. *II.* Periculoſas item eſſe importunas preces, dum, ſi reijciantur, gravioris mali ſublatet periculum. Tritum eſt illud; *eſt orare Ducum, ſpecies violenta jubendi*: & Princeps, Superior &c. quandoque *precibūs mavult, quàm viribūs uti* (Ovid. 6. *Met.*) qui tamen, ſi nihil effecerit, opportuniora comminationis malorum remedia non negliget. Et hoc quoque ex indicijs, paulò ante dictis, colligi poteſt. Immò exiſtimo, preces ejuſmodi, dum fuerint valdè importunæ, & inceſſantes, ac à patre, vel alio, cui reveren-

tentia debetur, proficiscerentur, ad generandum justum metum sufficere. Ratio urgens esse videtur, quòd ex una parte graviter animum torqueant, fatente id Scriptura S. quæ instantes Dalilæ preces, secretum fortitudinis sibi à Sampsone propalari urgentis, *Jud. c. 16.* hîsce exprimit: *cùmque molesta esset, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens* &c. Importunum quoque dicitur tale, quasi *sine quiete* & *sine portu*. Ex altera verò parte ipse metus reverentialis, qui in eo casu intercurrit, non est adeò spernendus, sed reflexionem meretur, cùm tàm facilè à subdito, filio &c. obedientiam præsertim amantibûs, resisti non soleat. Hinc non sine ratione cõcludi potest, importunas preces, metu reverentiali qualificatas, efficaces esse ad inducendum metum gravem secundum illud: *quæ non prosunt singula, multa juvant. L. Instrumenta. c. de probat.*

200. *III* Idem currit de metu reverentiali, accedentibûs minîs non tantùm clarè expressîs, sed etiam tacitè subintellectîs, aut latitantibûs, quæ conjici possunt, dum Princeps, Pater &c. ejus sit naturæ, ut omnẽ renitentiam in subdito, filio, aut filia graviter aversetur, & ea animadversâ vehemẽter excandescere,

vel etiam sævire soleat. In quo casu juxta Clericatum *cit. Discord. 55 n. 5 & seq.* ratio habenda nobilitatis patris, aut militaris, & generosi sanguinis illius: ejusmodi namque homines, quamcunque etiam contradictionem subditorum esse injuriam honoris debiti autumant. Quod præsertim verum, dum ipse parens filiam suam jam antecedenter alicui in uxorem promisisset: quia enim promissa virorum nobilium pro factis habentur *l. nemo ff. de in integr. restit.* procul dubio nunquàm patietur, promissionem suam resistentiâ filiæ evacuandâ. Et dum de puncto honoris, & servandâ, aut ostendendâ gloriâ agitur, nec illis parentibus fidendum, ùt *cit.* Author reflectit, qui cæteroquin placidi esse animi dignoscuntur.

His omnibûs accedit tenera ætas, & debilis complexio filij, vel filiæ, conformiter ad dicta *N. 195. & seq.* ut plurimùm si fuerit sub rigorosæ ferulæ educatione in cõtinvo timore enutrita: utique enim intensiore reverentiâ erga patrem fertur, multúmque timet, ne eam, se voluntati parentis apponendo, lædat; quô fit, quòd ad justum metum leviores minæ sufficiant, defectum illarum metu reverentiali supplente. Quapropter sentiunt passim *DD.* gravem metum causari

in

in filio, filia, ſubdito etiam ex ira, & indignatione patris, aut Superioris: *indignationis* autem *nomine intelligitur*, ait Ponce *de matr. l. 4. c. 5. n. 7.* apud Clericat. *Diſcord. 32. n. 5. torvus aſpectus, vultus offenſus, exprobratio verbis durioribus*: dummodò ea indignatio, ùt cautè monet Sanchez *l. c. d. 6. n. 14.* longè duratura prævideatur ſine ſpe brevi futuræ reconciliationis, quæ tantò citiùs ſequetur, quantò chariorem ſibi pater habet filiam. Sed vide *N.* 206.

§. III.

Corrollaria ex dictis; ubi etiam de probatione metûs.

201. PRo praxi, ut ea, quæ hucuſque dixi, ampliùs capias, *infero*, ſequentia matrimonia

Eſſe valida

Si tibi, juſtè in carcere detento, cuſtos illius dicat: non te dimittam, niſi filiam meam, aut neptim ducas. Vel ſi tibi Judex minetur carcerem propter crimen, à te patratum. Vel te pœnis proportionatis, & de Jure conceſsis, cogat ad eam ducendam, quam ſub promiſſione conjugij imprægnaſti: aut cui ex ſponſalibus ſimpliciter obligaris, & causâ reſiliendi cares. Vel ſi Tutor, pater &c. puellæ, quàm libidi-

bidinosè tractâsti, te deferre velit in ordine ad promeritam pœnam, nisi ducas eam &c. Etenim nulla his in casibus apparet injustitia. Quinimmò nec coactio, fundatiùs loquendo, cùm relaxatio carceris, pœnæ &c. proponatur tantùm in præmium desiderati conjugij. Item si pater, tibi in lecto cum filia invento, furore percitus mortem minetur, tu verò, ut eam evadas, matrimonium cum illa offers. Vel si inimicus vitæ, bonis, honori tuo insidietur ex vindicta, sed tu eum per matrimonium cum illius consanguinea, nepte &c. placare studes (Historiæ narrant, conjugia aliquando inita ad firmandam, aut renovandam pacem inter Principes) quàmvis enim illi injustè agant, ad matrimonium tamen extorquendum non cogunt, sed à te tantùm oblatum suspiciunt. A fortiori ergo idem dicendum, dum tibi justam pœnam, aut accusationē minatur, & tu ad eam evadendam ducere cupis; quia in eo casu nihil injusti succedit.

Sed quid, si tibi accusationem criminis minatus, animum accusandi revera non habeat, tu tamen id nesciens, matrimonium offers, & iris, ne accuseris? nónne te decipit injustè? *Respondet* Sanchez *cit. d. 9. n. 9.* & ex Lessio Caramuel

Theol.

Theol. fund. l. 3. n. 3691. licèt animum accusationis non gerat, habet tamen potestatem te accusandi : quia ergo eâ se privat, dum tuam oblationem matrimonij acceptat, propriè non te decipit, erítque validum matrimonium, tamtesi etiam directè ad extorquendum matrimonium delationem tui criminis minaretur.

202. Validum item est matrimonium, si eam ducis, quam imprægnâsti, ne conscientiam offendas. Si tibi matrimonium imponatur, tanquàm necessarium ad salvandam animam, juxta illud: *melius est nubere, quam uri.* 1. *Corinth.* 7. si judiciô Medici timeas, ne tibi in cœlibatu manenti, abundantia humorum fiat nociva. Si te ad matrimonium resolvis, ut succesſorem Catholicum Territorij, aut Ducatûs &c. habere possis, timens, ne cum periculo Catholicismi hæreticus illa occupet. Metus siquidem his in casibus provenit ab intrinseco. Item si pater te cogat ad nuptias cum aliqua, quia sperat, lites graves, vel inimicitias intensas exinde finem habituras: aut quia aliàs miserrimam vitam ageret, nisi per sponsam, tibi propositam, ad Officium promoveatur. Cùm enim pater justè agat, conscientia te cogit ad obediendum, & ducendum: nisi tu aliunde

fors

fores alteri ſponſæ ex juſtitia adſtrictus, nam prævalet titulus juſtitiæ, prout in parte limitat Sanch. *l. c. d.* 23. *n.* 6. Idem judica, ſi Princeps te cogeret ex fine publici boni ad aliquod conjugium, quia & illud promovere obligaris.

203. Validum denique eſt matrimonium illius fœminæ, quæ blandimentîs, munuſculîs, aliísque ſuavitatibûs inducitur ad matrimonium, cùm nulla irrogetur violentia, ſed animus potiùs fœminæ modîs illius inclinationi conformibûs emolliatur. Item ſi puella renitens per importunas, & continuas preces ad conſenſum moveatur; ſpontaneè enim conſentire præſumitur eô, quòd importunitas precum non habeat vim, ad violenter extorquendum conſenſum in re tanti momenti, ùt eſt conjugium. Unde non excuſatur factum Samſonis, nec probatur viro dignum, quòd ad fortitudinem, â qua ſalus illius dependebat, manifeſtandam precibûs Dalilæ victus fuerit: quamquàm ſimili ratione *Luc. c.* 11. vinci potuerit amicus ad dandos panes, velut rem minùs notabilem.

Econtrà verò ſequentia matrimonia ſunt invalida.

204. Si tibi, in lecto invento cum puella pater minetur mortem, niſi ducas eam

eam : quia Jus non habet in tuam vitam. Idem est, si quis minetur te in Judicio vexare delatione conficti alicujus criminis, vel etiam veri, sed occulti, cùm nemini liceat etiam vera crimina, sed occulta cum tui infamia propalare, aut deferre. Idem est, si quis puellæ, ni nubat, consanguineum officiô aliquô injustè privare velit (aliud foret, si nolet, cùm posset, cooperari ad illius promotionem, denegando enim auxilium nulla committitur injustitia) In his namque, & similibus casibus metus injustè ab extrinseco incutitur ex fine extorquendi matrimonij. Item si tibi, qui cœlebs manere cupis, terror incutiatur, ut ducas, quam libuerit. Aut si ad matrimonium quidem aspiras, sed cogeris, aliquam ex familia Caij tantùm (quidquid dicat Caram. *l. suprà cit. n.* 3692.) ducere. Nam non solùm liberum debet esse matrimonium simpliciter, sed etiam quoad individuum personarũ statui convenientiũ, ne si nulla ex familia Caij placeret, oriantur infelices exitus, qui de invitis nuptijs solent provenire. Aliud esset, si tu puellã multò inferioris conditionis cum dedecore tui sanguinis ducere volens, metu adigaris ad ducendam aliam, quia metus justus est, & rationabilis, dummodò non fuerit ex-

ces-

ceſſivus: quod addo, quia ultimatim matrimonia libera eſſe debent, potéſtque quiſquam magis cogi, ne talem improportionatam ducat, quàm ut aliam uxorem convenientem accipiat, prout de multis puellis factum, quibus impeditum ea ratione erat matrimonium, ſed ſine coactione ad nubendum alteri.

Cæterùm incidenter notandum eſt, ex Trid. *ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 9.* ipſô factô ſubjacere excommunicationi Dominos temporales, & Magiſtratus (non alios, temporali juriſdictione carentes, ùt *l. c. d. 22. n. 9. & 10.* advertit Sanchez cum alijs) *qui viros, & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes, maximè divites, vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minîs, & pœnîs adigunt, cum ijs matrimonium invitos contrahere, quos ipſi Domini, & Magiſtratus illis præſcripſerint: cùm maximè nefarium ſit, matrimonij libertatem violare, & ab eis injurias naſci, à quibus Jura expectantur.*

205. Si te Judex terroribûs, & pœnîs exorbitantibûs cogat ad eam ducendâ (aut ê contrà) cui ex ſponſalibus obligaris: ea enim ſeveritas eſt contra Jura, proinde injuſta: unde Lucius III. interrogatus: *quâ cenſurâ compelli debeat, quæ juris jurandi Religione neglecta nubere renuit,*

tui se nupturam jurejurando firmavit? respondit: *quòd cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quàm cogenda* (medijs valdè severis) *cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. c. requisivit.* 17. *de sponsal.* Confirmatur quoque praxi Tribunalium, quæ ab ultimata coactione desistunt, & sponsos resilire sinunt, illô, qui promissioni stare renuit, alterius juri pecuniariâ taxâ satisfaciente, quam quandoque Judex (etiam Ecclesiasticus de Jure communi, licèt praxis alicubi obtinuerit, id ad sæcularem tantùm Judicem pertinere, nisi partes in Ecclesiasticũ compromiserint) determinare solet, alterô scilicet consentiente, ut jus illius pecuniâ redimatur, sed quantitatem excessivam postulante.

Non negatur tamen, severiora ad extorquendum matrimonium promissũ adhiberi posse remedia, dum copula carnalis, maximè cum imprægnatione interceserat: tùm ut puellæ satisfiat: tùm ut pluribus malis, quæ non rarò contingunt, hâc viâ obvietur: ex imprægnatione namque personæ nobilis honor læditur, inimicitiæ, odia, rixæ, & homicidia etiam quandoque sequuntur. S. Scriptura narrat exemplum in populo Sichimitarum, eorúmque Principum, qui à

filijs Jacob interfecti erant eô, quòd Sichem filius Hemor Hevæi violâſſet Dinã Jacob, & Liæ filiam. *Gen. c.* 34. quem in locum vide Cornelium à Lapide, pluribûs hiſtoriîs idem probantem. Omnes igitur circumſtantias, qualitates perſonarum, & damna ſequi nata, attentè conſiderabit Judex Eccleſiaſticus, ut ſciat, quando ſeverioribûs remediîs matrimonium urgere debeat, ne injuſtitiam committat, ſítque matrimonij invalidi cauſa. Sed antequàm injuſta dicatur ſententia, debet apertè conſtare de exceſſu Judicis ultra limites Juſtitiæ, & Officij ſui: alioquin auctoritas judicialis ſententiæ poſtulat ex *c. in præſentia* 6. *de Renunt.* ut in dubio præſumatur juſta.

206. Si Princeps, Dominus, pater, Tutor inſtanter, & indeſinenter ſolicitet filium, filiam, ſubditum ad matrimonium: concurrit enim metus reverentialis cum importunitate precum. *Aut* ſi pater filiam duriter propterea tractet, indignabundum, & torvum vultum præſeferat &c. Immò etiam, ſi ad renitentiam filiæ tenerioris alteretur, excandeſcat, in duriora verba prorumpat: quàmvis enim ea ira ſæpiùs non ſit longæ durationis, id tamen puella neſcit; & aliàs minus malum ſufficit per *ſuprà* dicta ad metum

tum gravem, dum metus reverentialis comitatur; & tenera ætas puellæ ad gravem sui animi concussionem majoris mali timorem non exigit.

Porrò Sanchez *l. c. d. 6. à n. 24. usque ad n. 34.* variîs Juribûs, & citatione aliorum *DD.* ostendit, metum reverentialem (*per se, & ex natura rei*) adesse *I.* in subdito respectu Principis, Magistratûs, &c. *II.* In filio respectu patris, soceri, avi, aliorúmque Ascendentium. Item respectu matris, præsertim, dum illa authoritate pollet in domo. *III.* In pupillo respectu curatoris, tutoris. *IV.* Respectu patrui, aut avunculi, dum in eadem domo habitat, & gubernium tenet. *V.* In fratre, aut sorore respectu fratris natu majoris, similiter, dum ille domũ regit. Notanter dixi: *per se & ex natura rei:* contingere siquidem potest, filium esse sui juris, *à* patre, matre &c. independentem, eorúmque jussa parvi facientem: quo in casu utique metus reverentialis argui non posset.

207. Ex his exemplis facile erit judicium circa alios casus emergentes, semper attendendo, à quo metus fuerit incussus? quem in finem, an directè scilicet ad extorquendum matrimonium? utrùm jure, vel injuriâ? an metus sit gravis cẽ-

ſendus, vel levis? quò in puncto, cùm certa regula ſtatui nequeat per dicta *N.* 195. *& ſeqq.* ad prudens arbitrium Judicis recurrendum eſt: nam *non ſufficit quodlibet terrore adductum timuiſſe: ſed hujus rei diſquiſitio Judicis eſt. L.* 3. *ff. ex quibus cauſis majores.* Judex verò omninò caveat, ne mox credat, aut unquàm præſumat metum gravem; quia enim incuſſio metus gravis in ordine ad matrimonium delictum grave contra libertatem matrimonij involvit, ſapítque gravem injuſtitiam, probari debet per *L.* 1. *§. quæ exonerandæ. ff. quarum rerum actio*: & *c.* 28. *de ſponſal.* eò, quòd mala audita paſſim credi non debeant abſque certa probatione *c. nullum ante* 10. *xxx. q.* 5. ubi propterea etiã præcipitur, ut quiſquam *ante audita diligenter inquirat, ne præcipitando quidquam aliquis agat.*

208. *At quomodo* probatur metus gravis? *Reſpondeo:* cùm metus conſiſtat in mentis trepidatione, ſícque in animo lateat, numeratur inter ea, quæ ſunt difficilis probationis, nec requirunt convincentes probationes, ſed per conjecturas, & fortia indicia deducuntur. Quocirca ex mente *DD.* probatur metus ad propoſitum, dum conſtiterit aliquem carceri mancipatum, vel vinculis onuſtum; vel ali-

alicubi violenter detentum, & custoditū consensisse in matrimonium. *Item* si tempore cōtractus conjugalis lachrymabatur, plùs solitô impalluit, alteratus erat, nec horum accidentium alia causa appareat. *Itē* si quis vel ante, vel mox post contractū protestatus fuit, se non nisi coactum, & timore compulsum consentire, vel consensisse. *Si* testes adsunt, qui deponunt de comminatione malorum. *Si* appareat defectus omnis amoris conjugalis, & conjugem cum conjuge in continuis rixis, & dissensionibus vivere, quæ jam inde à principio initi conjugij continuantur: præsertim si debitum conjugale constanter negatum erat, aut non nisi vi, & magno labore extortum (dequo ampliùs §. *seq.*) Similia enim indicia videnda apud Reiff. *ad* 1. *Decret. t.* 40. § 4. satis ostendunt, matrimonium non absque metu, & notabili læsione *libertatis* contractum fuisse. *Vide* etiam dicenda §. 5. *in resolutione casûs N.* 217.

§. IV.

Explanantur quædam dubia.

209. *Dubium I.* An matrimonium metu nullum firmetur Juramentô? *Respondeo negativè.* Sanchez *cit. d.* 20. *n.* 17. Pichler 4. *t.* 1. *n.* 110. & *communis*

aliorum textu claro *c. 2. de eo, qui duxit &c:* ubi refertur Alexandrũ III. mandasse Abbati de Fontibus *: quatenùs si constiterit, quòd eidem* viro *tanta vis illata fuerit* (per vincula, carceres, ùt casus *ibi* sonat) *quòd non sponte in primam consenserit, nec post præstitum juramentum ipsam carnaliter cognoverit, propter hoc non dimittat, quin ad aliam, quam postmodum in uxorem accepit, revertendi tribuat facultatem.* Si verò primum matrimonium robur aliquod habuisset ex juramento, vir ad secundam reverti non posset ob reatum Polygamiæ. Ratio est manifesta, quòd juramentum non efficiat consensum plenè, & perfectè voluntarium, quem tamen matrimonium exigit; sed sit in testimonium tantùm præstiti consensûs (sítque merè assertorium) si igitur ille ob metum sit ad matrimonium insufficiens, manet talis additô etiam juramentô. Suffragatur quoque illud Juristarum principium ex *c. si diligenti. de foro compet.* videlicet juramentum de ijs contractibus, qui ob bonum publicum irritantur, nullius esse efficaciæ. Nam irritatio matrimonij ex metu, respicit bonum publicum, inquantum introducta est ex bono fidei, prolium, & amoris conjugalis.

210. *Nec* facit in contrarium D. Aug.

qui

qui, ùt refertur *c. inter cœtera. 22. xxii. q. 4.* de eo, *qui captus, & timore necis impulsus suæ concubinæ juramentô firmavit, ipsam in conjugem suscipere, propriámque matrem cum fratribus de domo expellere, nihílque eis alimoniæ unquàm impendere*; resolvit, hoc juramentum quoad negationem alimentorum non esse quidem servandum, cùm sit impium: attamen quoad matrimonium aliter sensit, dicens: *quiæ verò, quam prius concubinã habuerat, non est peccatum in conjugem suscipere, matrimonium sit in Deo firmum, & stabile. Nam* nihil aliud intendit D. Aug. quàm reprobatô juramentô negandi alimenta matri, asserere, concubinam posse liberè in uxorem duci, ùt constat ex subjecta ratione: *non est peccatum in conjugem* &c. quod si quis fecerit, matrimonium erit *firmum, & stabile*; quàmvis non fiat validũ propter adjectum juramentum, dum semel ratione metûs nullum erat. Sanch. *cit. n.* 13. & ex eo Pirhing 4. *tit.* 1. *n.* 121. Elbel *de matrim. n.* 196. *&c.*

211. *Dubium II.* Quo Jure metus gravis annullat matrimonium? *Respond.* si quis metu impulsus externè tantùm se fingat consentire, omni interno consensu destitutus, certum est, matrimonium esse jure naturæ nullum ex defectu con-

sensûs interni. Sed an idem dicendum, dum quis internum etiã consensum præstat, controvertunt *DD.* Quidam considerantes, cum metu gravi stare voluntarium simpliciter per dicta *in* 1. §. patétque ex illo usitato Juristarum: *coacta voluntas est voluntas;* docent, metum jure naturæ non irritare matrimonium hôc ipsô, quòd adsit consensus simpliciter voluntarius. Et si interrogentur, ubi extet expressum jus positivum annullans matrimonium? dicunt, illud quidem nullibi statui (nam Jura *suprà* allata non annullant, sed declarant tantùm, metum annullare) consuetudine tamen, & continua traditione constare, illud aliquando inductum fuisse: prout *N.* 166. de impedimento *Disparitatis cultûs* dictum est.

Verùm Scotus *cit.* sentit, matrimoniũ esse jure naturæ ex metu nullũ. Ducitur: quia licèt alij contractus, qui non sunt insolubiles, ex metu initi valeant, cum futura tamen rescissione ex *dictis N.* 192. contractus tamen matrimonij, cùm sit indissolubilis, postquàm semel valuit; ab initio nullus est ex metu, suadente æquitate naturali, ne scilicet sine omni remedio maneat. *Tum* quia metus tollit perfectum voluntarium, quod tamen ex lege naturæ ad matrimonium requiri videtur

tur Scoto *l. c.* ibi: *etiam in lege naturæ erat istud requisitum* (traditio scilicet corporis summè libera) *in contractu matrimonij, Gen. 2. adhærebit uxori suæ: sed non adhæret quis illi, quòd invitè tenet &c. Nec obest*, Baptismum gravi metu susceptum esse validum eô, quòd adhuc maneat simpliciter voluntarius. *Etenim* per Baptismum melioratur conditio baptizati, cedítque in utilitatem illius, & æternã salutem: unde non mirum, quòd voluntarium, etiam metu infectum, ad illum sufficiat.

Qui utriusque sententiæ fundamenta deducta videre desiderat, adeat Sanch. *cit. d.* 14. *per totam.* Reiff. 1. *tit.* 40. *à n.* 47. Pichler *l. c. à n.* 113. interim verò advertat, ex secunda sententia sequi, etiam infidelium matrimonia stante gravi metu irrita esse, cùm & illi legibus naturæ regantur.

212. *Dubiũ III.* Quomodo matrimonium metu nullum consolidetur? *Respond.* non aliter, quàm per novum consensum à metu passo elicitum: & quidem in foro conscientiæ res est facilis: si enim metũ passus consensit in matrimonium, suúmque consensum nunquàm postea ratificavit, licèt conjugi longissimo tempore cohabitâsset, illique carnaliter etiam commix-

mixtus fuiſſet, matrimonium æquè, ùt in principio, manet nullum: quia primus conſenſus non ſufficiebat: ſi ergo alius novus liberè præſtitus non accedat, nihil eſt, unde matrimonium reconvaleſceret. Si verò è contrà conjux metum paſſus fateatur, ſe in matrimonium priùs nullum, ſponte poſtmodum conſenſiſſe, licèt nulla adhuc carnalis copula ſecuta fuiſſet, vi novi conſenſus cenſendum eſt validum, dummodò (NB.) alter conjux nullum metum paſſus ſuum conſenſum interim non revocaverit per dicta *N.* 42.

Immò P. Reiffenſt. *in Append. ad* 4. *Decret. n.* 607. *& ſeqq.* perſuadere conatur, non ſufficere, ut pars metum non paſſa, ſuum conſenſum non revocaverit, ſed inſuper requiri, ut dum altera pars metum paſſa conſenſum renovat, etiam pars metum non paſſa novum conſenſum ponat: & hanc ſententiam de renovatione utriuſque conſenſûs ait, in caſu cujuſcunque impedimenti irritantis probabiliorem eſſe, & in praxi omninò tenendam. *Aſt* Sanchez *l.* 2. *de matr. d.* 32. *n.* 9. Pichler 4. *tit* 16. *de Diſpenſat. Impediment. n.* 52. aliíque, docent, requiri quidem novum utriuſque conjugis conſenſum, dum matrimonium ob aliquod ali-

ud

ud impedimentum nullum erat. Ratio eſt: quia cùm ex impedimento utraque perſona fuerit inhabilis ad matrimoniũ, neutrius conſenſus validus erat: proinde, ut ſublatô impedimentô per diſpenſationem, matrimonium valere incipiat, utriuſque conſenſus novus requiritur. Sed ſi matrimonium fuerit nullum ex defectu conſenſûs unius tantùm conjugis, ùt in propoſito illius, qui metum paſſus eſt, ad revalidandum matrimonium ſufficere videtur, ut ille tantummodò alium conſenſum liberè ponat. Ratio eſt: quia cõſenſus conjugis, qui nullum metum paſſus eſt, erat de ſe validus, & ſi nondum revocatus ſit, ſemper durat: adeoque ſi alter conjux metum paſſus novum conſenſum liberè eliciat, habetur utriusque conſenſus liber, & voluntarius, qui ſufficit ad valorem matrimonij.

Quid ergo in praxi dicendum? ſeu quæ ſententia tenenda? *Reſpod.* primam eſſe utique tutiorem; ſed quia in materia Sacramentorum non jubemur tutiora ſequi, ſed tantùm probabiliora: nec exploratum, utra ex his ſententijs ſit probabilior; nequaquàm illi contradicerem, qui juxta Sanchezium conjugis metum paſſi duntaxat conſenſum exigeret, nec ſolicitus eſſet de renovatione conſenſûs

alte-

alterius conjugis. Ex Bonacina, Kugler & alijs Elbel *de matr. n.* 343.

213. Aliter procedendum est in foro fori, in quo, cùm renovatio consensûs interni non pateat, nec illam neganti credatur, ad conjecturas tantùm recurri debet, ex quibus præsumptivè saltem renovatio consensûs concluditur. *Et quidem* una conjectura est cohabitatio: conjux enim, qui suo conjugi pacificè cohabitat, præsumitur in matrimonium, quod ad initium ingratum fuit, mutata dein mente sponte consensisse, alioquin ab illo recederet. Et ita judicavit Clemens III. *c. ad id.* 21. *de sponsal.* de Parœciana illa, quæ renitens, & invita erat viro tradita: respondit namque: *tamen, quia postmodum per annum & dimidium sibi cohabitans, consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Voluit insuper, nec testes audiendos esse, quibûs Parœciana illa probare vellet, se nunquàm consensisse. *Nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum, quòd non consenserit in eundem, nominaverit producendos, cùm mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat.*

Porrò, ut cohabitatio tam violentã præsumptionem generet, contra quam nulla probatio admittitur, necessaria sunt sequen-

ſequentia. *I.* Ut ſit ſpontanea, & libera: Qui ergo probare poterit, metum, â principio matrimonij incuſſum, etiamnum durare; vel ſuperveniſſe aliud impedimentum, quod impedit, ne contra matrimonium reclamare poſſit, aut â conjuge diſcedere; quia v. g. timet præpotentiam conſanguineorum illius: vel violationem juramenti, ſi ſcilicet jurare debuit, ſe nunquam diſceſſurum &c. nulla ex cohabitatione orietur præſumptio renovati conſensûs. *II* Ut ſit diuturna. *Sed* quanti temporis? *Reſpondeo*: in allato textu exprimi quidem ſeſquiannum, ibi. *per annum, & dimidium.* Verùm quia in illo facti tantùm ſpecies narratur, & nihil deciditur: nec alibi determinatum tempus reperitur, concludunt *DD.* diuturnitatem cohabitationis ad purgandum metum, & ſanandum matrimonium eſſe â Judice dijudicandam; univerſaliter enim, *dum* lex *dicit tempus, nec adijcit diem, ſine dubio oſtendit, eſſe in Jus dicentis poteſtate, quem diem*, aut tempus *præſtituat.* *III.* Ut cohabitans ſciat nullitatem ſui matrimonij per dicta *N.* 45. quinamque credit, ſe haud obſtante metu validè contraxiſſe, utique cohabitat quia credit ſe vi matrimonij ad id obligari: per conſequens non poteſt argui, eum coha-

cohabitare, quia consensum renovando nullitatem matrimonij sanavit.

214. *Altera* conjectura est copula carnalis; siquidem *c. consultationi. de spon. sal. & matr.* ijs tantùm mulieribus (par ratio est de viris) nullitatem matrimonij ex metu incusso probare volentibus, non est deneganda audientia, sed *de illato metu cũ diligentia inquirendũ*, quæ *mox à sponsis aufugiunt* (aut reclamant) *ante carnis copulam subsecutam.* addítque Glossa: *secùs si post, quia tunc consensisse videntur*; eô ipsô namque, quòd nemo præsumatur malus, & fornicator, præsumitur potiùs, se affectu conjugali ad copulam accinxisse, sícque matrimonium priùs nullum, factô, & opere sanâsse: Et quidem tam fortiter id præsumitur, quòd *contra præsumptionem hujusmodi non est probatio admittenda* ùt dicitur *c. Is, qui fidem* 30. *Eodem.* Quod in eo casu tantùm verum habet, quô copulam exercens novit nullitatem matrimonij, per dicta ad finẽ *N. prioris.* & unà quoque copulam voluntariè admittit, non vi, vel metu gravi compulsus (quod faciliùs, & frequentiùs accidere potest fœminæ, quàm viro) quàm parùm enim, benè ait Pichler *cit. n.* 115. verba, ex metu prolata, efficiunt consensum matrimonialem, tàm parùm

eun-

eundem faciunt facta, seu opera ex metu posita. Ita DD. sæpiùs *citt.* & exactè Sanchez *l. c.*

§. V.

Resolvitur casus de Impedimento Vis, *seu* Metûs.

Sophius, ut Meticulam, cujus amorem conciliare non potuit, in sponsam haberet, Patrem illius hunc in finem interpellavit, qui Meticulæ filiæ suæ suadere primũ cœpit, ne occasionem conjugij valdè proficui negligeret: proponere emolumenta, & commoda, quæ inde sperare licet, dúmque id aliquoties repeteret, & animum filiæ titubantem quidẽ cerneret, nec tamen resolutum; ut eum tandem flecteret, duriora aggressus media, torvum vultum indignabundus præsetulit, consuetæ paterni affectûs indicia retraxit, & in futurum etiam sibi invisam fore minatus est. Unde denique factum, Meticulam hujusmodi terroribûs victam, non tantùm Sophio nupsisse, sed ei quoque conjugaliter cum carnis cõmixtione convixisse. Verùm quia nullũ violentum diuturnum, Meticula continuò odiò Sophium prosequitur, nunquàm à rixis, & contentionibus libera, & omni in illum amore destituta. Quid ad hunc casum? & quid remedij?

Re-

215. *Respondeo I.* Patrem esse gravis culpæ reum, dum Meticulam, à Sophio vehementer aversam videns, gravioribûs medijs ad matrimonium cum illo cogere non destitit; quàmvis enim in casu conjugij multùm utilis, possit Pater filiam ad illud inducere, & increpatione moderata uti ex dictis *N.* 202. à severiore tamen coactione desistere *debet.* Propter salvandam plenam libertatem, quam Jura cuivis quoad eum statum concedunt. Concordat *communior* sententia docens, filium obligari quidem regulariter ad petendum consilium parentum in eligendo matrimonio, non tamen semper ad obediendum.

Et hôc ipsô, quòd Pater valeat promovere matrimonium utile, & ad illud opportunîs, sed non excessivîs medijs filiam inducere: non peccavit Sophius, Patrem ad id interpellando; cùm culpabile non sit ad licita, ut finis sequatur, media recurrere. Aliud foret, si Sophius ad duram illam tractationem induxisset patrem, ùt patet.

216. *II.* Examinanda est Meticula, an verbotenùs tantùm consenserit, id est, sine omni æquivocatione verbîs tantùm consensum expresserit, interna voluntate prorsus aliena: Si ita: est quidem men-

mendacij rea (quòd ob nullum metum licet) ſed venialis tantùm ex doctrina Sanch. *cit. d.* 16. *n.* 2. Spores *de matrim. n.* 21. & aliorum: Sophius ſiquidem non habuit jus, ut Meticula verum conſenſũ ex metu præbeat, ſícque per hoc mendacium damnificatus non erat: præſertim cùm aliunde etiam per internũ conſenſũ hoc in caſu nihil obtinuiſſet, utpote ex paulò pòſt dicendis, ad matrimonium inſufficientem. Nec etiam ſacrilegium commiſit Meticula, conſenſum ſuum ſimulando, quaſi ſcilicet voluntariè, & cum dolo fruſtrâſſet formam Sacramenti matrimonij: cùm enim verba non ſint forma hujus Sacramenti, niſi ùt conſtituentia, ſeu efficientia contractum matritrimonij (cui tantùm annexa eſt ratio Sacramẽti) ſi illa ſine animo interno ob metũ proferantur, non ſunt forma Sacramẽti matrimonij. Ita *citt.* Aliud eſt, dum materiâ, & formâ Sacramenti poſitis, intentio conficiendi Sacramentum ſacrilegè ſimulatur, nec id ex circumſtantijs colligi poteſt.

Sed ſi realiter etiam, & internè conſenſiſſet, dum tamen id factum ex metu, in caſu relatô nullum eſt matrimonium; quia metûs reverentialis ita qualificatus eſt impedimentum dirimens ex *N.* 198.

tanquàm cadens in virum constantem, & injustus. Nec suffragatur, quòd copulam carnalem etiam admiserit, dummodò eam admisit vi oppressa à Sophio, & sine animo conjugali: vel libidine tantùm victa: vel quia timuit ferocitatem Sophij, aut gravem offensam, & indignationem Patris: vel tandem quia erroneè crediderat, matrimonium esse validum, séque vi illius ad concedendum usum corporis obligatam esse, ùt patenter constat ex *N.* 212. Atque hæc facilia sunt in foro interno, in quo agitur de salute spirituali animæ, & reconcilianda conscientia cum DEo: cùm enim crudele esset, nisi gravis ratio aliud suadeat, & planè temerarium, præsumere falsitatem pœnitentis, & judicare, quòd in eo actu, in quo gratiam DEi mercari conatur, per falsitates, & mendacia se eâdem indignũ reddere velit: absque dubio illius confessioni standum est, & juxta confessa judicandum.

217. At in foro externo, cùm agatur de administranda justitia, & jure matrimoniali servando, assertioni partis litigantis non creditur, nisi vestitæ legitimis probationibûs. Quapropter ut in proposito casu Meticula contra suum cõjugium ex capite injusti, & gravis metûs ex-

excipere valeat, probare debet per teſtes penitentiam, & averſionem, quam ſemper præſetulit erga illud conjugium: teſtes verò eſſe poterunt Domeſtici, ancillæ &c. coram quibus eam forte declaravit. *Item* metum ſibi à Patre fuiſſe incuſſum, ſi ſcilicet ille ſæpiùs aliis videntibûs, & audientibûs ſolicitavit matrimoninm: ſibi illud valdè gratum eſſe faſſus fuit, propoſuítque ſe illud pro poſſibili urgere velle, & durum, obſtinatúmque animũ Meticulæ emollire: nam ùt ex Maſcardo benè arguit Clericatus *Diſcordiarum foreníſ. Civil. Diſcordiâ* 32. *n.* 5. ſi conjecturæ ad probandum alium metum, qui non præſumitur, ſufficiunt, & dictum eſt *ſuprà N.* 208. multò magis potentes, & validæ erunt ad eum metum, qui præſumitur, & eſt reverentialis: hinc eſt, quòd Idem *l. c. Diſcord.* 55. *n.* 12. *& ſeq.* ex Farinacio doceat, hunc metum ſatis dici probatum, quando probantur perſuaſiones, & importunæ preces Patris, aut alterius perſonæ, cui debetur reverentia: nec neceſſe eſt, preces fore inſtantiſſimas, dum adjunctum habent periculum gravis indignationis, quod ex natura, & complexione Patris conijci poteſt, ſi nimirum magna authoritate, auſteritate, & gravitate polleat in filiam, per

ea, quæ *suprà* dixi, & advertit Marchantius *in Resolutionibus notabil. variorum Casuum, de Sacramento Ordin. casu* 2. Hæc igitur, & similia (vide dicta *cit. N.* 208.) deducenda sunt à Meticula, ut intentum suum feliciter attingat, Judex verò eorum sufficientiam prudenter perpendere debet, poterítque in supplementum sufficientiæ juramentum Meticulæ admittere: tùm quia plures apud Reiffenst. *L.* 1. *tit.* 40. *n.* 92. volunt, metum quoque probari per juramentum *arg. c. statutum §.* 1. *de Rescript. in* 6. tùm quia licèt hanc probandi metûs methodum alij probabiliùs negent in præsenti, cùm difficile sit, ad juramentum unius, in sui favorem jurantis, & quidem contra valorem matrimonij, quem aliàs omnia Jura custoditum volunt, fidem in Judicio præbere: negari tamen haud potest, quin sufficiat in suppletionem accedentibûs aliîs conjecturîs. Marchantius *l. c. casu* 3. *in fine.*

218. Etiam hôc positô necdum vicit Meticula, cùm violentam ex admissa copula adversus se patiatur præsumptionẽ de purgato metu, & renovato matrimonij consensu per dicta *N.* 214. Et ut hanc præsumptionem elidat, frustrà objiciet, se affectu libidinoso tantùm, & non conjugali copulæ subjecisse: est enim fornicatio

catio grande crimen, affectúsque, seu animus libidinosus merè internus, & latens: unde hanc turpitudinem, etiam cum juramento asserens, non auditur in sui favorem, & matrimonij præjudicium. Ut igitur utiliter rem suam in Judicio agat, & promoveat, debet ostendere vel se esse illata vi oppressam, si scilicet alijs constet strepitosa resistentia, quâ se opponebat Sophio concumbere volenti: vel quòd non nisi ex timore gravi passa fuerit concubitum, quia videlicet expavit austeritatem Sophij mariti, aut Patris indignationem gravem &c. quem in finem se juvare poterit testimonijs Matronarū, ancillarum &c. quibus fortè lamentando exposuerat, se nullum affectum erga Sophium sentire posse: sibi omnem carnis commixtionem cum illo ingratam esse, nec eam unquam admissuram, si timor mariti, Patris &c. non instaret: se liberationem ab hoc jugo vehementer optare, nec quietô animô cohabitare posse &c. Quæ, & similes conjecturæ, accedente etiam pro majori firmitate Juramentô, satis essent per DD. sæpiùs *citt.* ad ferendã nullitatis sententiam.

219. *Ergóne* Confessarius suadere poterit Meticulæ actionem contra matrimonium? *Respondeo*: conabitur præpri-

mis inducere illam ad renovandum consensum cum firma fiducia in Divinum auxilium, si se sponte, & voluntarie subdiderit, maxime in casu conceptæ jam prolis, aut timoris scandali, alteriúsve mali. Cæterùm si nihil efficere possit, aut si ex connubio ulteriùs durante periculum mali alicujus, & pessimi eventus meritò prævideatur, absque dubio Confessarius ex munere suo ei actionem contra matrimonium suadebit, & probationes suggeret.

Sed quid, si probationes deficiant, aut productæ etiam Judicem non moveant, nec convincant? *Respondeo*: haud superesse aliud remedium, nisi ut vel divortium quoad thorum, & cohabitationem obtineat judicialiter (dantur enim rationes ad illud sufficientes, quæ sunt ad evertendum matrimonium insufficientes) vel sibi fugâ consulat, ùt advertit P. Elbel *de matrim. n.* 149. quam vel ad aliam Regionem, vel ad Monasterium aliquod operâ amicorum occultè arripere poterit.

ORDO.

220. CErtum est in Ecclesia Sancta Dei septem dari Ordines, eósque in

in duo quasi genera partiri: in *Minores*, qui sunt primi quatuor: & *Majores*, qui sunt tres posteriores, & *Sacri* etiam dicuntur ad distinctionem tantùm nominalem à Minoribus, & propter adjuncta onera specialia, quæ ex Minoribus non sequuntur, quàmvis & hi, tanquàm vera Sacramenta, sint in se omninò sacri. Hæc delibâsse tantùm sufficit ad propositum, ampliùs passim videnda.

§. I.

Quid de Minoribus Ordinibus ad propositum dicendum;

221. NUllibi in Jure reperitur, Ordines Minores obstare matrimonio contrahendo, sed oppositum potiùs in varijs *Canonib.* exprimitur, quos in re tam explorata superfluum esset recensere; unde jubet Papa *c. 1. de Clericis Conjug* ut in Minoribus constituti, si ad matrimonium convolant, non ad dimittendas, sed *ad retinendas uxores districtione Ecclesiastica* compellantur. Quia tamen in talium *conversatione Cithara cum Psalterio malè concordat*, ùt loquitur Innocent. III. *c. de diversis.* 5. *eôdem*: tùm in hoc, tùm in alijs *cc.* privantur Clericali privilegiô, & beneficiô, si quod obtinent, de quo fusè Canonistæ ad *cit. tit.*

222. Licèt defactò Ordines Minores nullum præbeant impedimentum ita, ut nec peccatum veniale sit, illîs non attentîs ad conjugium aspirare (si præscindas à levitate, & inconstantia) Nec etiam Ecclesia possit actu Minoristis, simpliciter loquendo, prohibere matrimonium, & præcipere continentiam: *est enim Virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest: res magis voti, quàm præcepti. c. Integritas* 13. *xxxii. q.* 1. ex D. Ambros. *lib. exhortationis ad Virgines*: unde *quibus voluntas propria desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam* (1. *ad Corinth. 7. aufferre non possumus*, fatetur Concilium Tolet. II. relatum *c. de ijs* 5. *dist.* 28. Posset nihilominus Ecclesia statuere, ut qui imposterum Minoribûs initiari desiderant, continentiam servent, à conjugio abstinentes: illam enim simpliciter non præciperet, sed qui liberè ordinari vellent, se liberè quoque huic jugo subjicerent. Sanchez *l. 7. de matrim. disp.* 31. *n.* 4. & ex illo Caramuel. *l.* 3. *n.* 3776. Et perspicuum est, eum non cogere, qui jubet aliquid sub conditione, voluntariè acceptanda.

223. Ex his *sequitur*, quòd erroneè etiam credens, Ordinibus minoribus annexum impedimentum matrimonij, possit

sit illud inire, nisi aliud obstet, licèt pauci quidam immeritò contradicant; cùm impedimentũ non dependeat ab opinione alicujus, sed ab Ecclesia tantùm, quæ nullum hìc posuit. Immò etsi ille voveret castitatem, maneret tamen habilis ad matrimonium eô, quòd votum, sacris tantùm Ordinibus adnexum, sit solenne *ex dicendis*, & irritativum matrimonij.

214. Notanter addidi: *nisi aliud obstet*; Etenim negari nequit, eum, qui credit se laborare impedimentô dirimente, non habere consensum efficacem in matrimonium, tanquàm in contractum sibi impossibilem visum: adeóque ex defectu consensûs validè contrahere non posse, licèt impedimentum Ordinis non obstet. Quapropter ut eo errore præventus validè contrahat, requiritur animus faciendi, & contrahendi eô modô, quô potest, nam *validè contrahere* potest, tanquàm ab impedimento liber. Quæ doctrina etiam pro alijs impedimentis in simili casu erroneæ susçipionis deservire potest, & roboratur paritate Baptismi v. g. qui etiam ab Hæretico ministratus valet, quàmvis ille credat, Romanam non esse veram Ecclesiam, dummodò intendat baptizare secundum institutionem Christi: vi enim hujus generalis inten-

tionis in re baptizat juxta ritum Romanæ Ecclesiæ hôc ipsô, quòd ea sit vera Ecclesia, à Christo pro dispensatione Sacramentorum instituta, sícque per illã generalem intentionem implicitè destruit, & contradicit particulari suæ intentioni, quâ non vult juxtá ritum Romanum baptizare, ùt loquuntur, & explicant Theologi. Pariter itaque, qui judicat se esse ad matrimonium vi alicujus impedimenti, erroneè apprehensi, inhabilem, nec posse validum habere consensum, validè consentit, dum intendit consentire eô modô, quô potest, nullóque impedimentô impeditur; quia à parte rei potest validè consentire, & per hanc intentionem inefficax redditur erronea illius opinio, nec nocet contractui matrimoniali.

§. II.

Impedimentum Ordinum Majorum.

225. OMissis variis Canonibûs ex *dist.* 28. 31. 32. *&c.* sufficit ad propositũ clarissima declaratio Bonifacij VIII. *c. un. de voto in 6.* exclusis aliis continentiæ votis, illud, quod in professione religiosa emittitur, & quod Ordini Sacro annexum est, solenne esse, & sequens dirimere matrimonium declarantis: *Præsentis*

tis declarandum duximus oraculô sanctionis : illud solum votum debere dici solenne, quantùm ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, & per professionem &c. quod idem repetit quodammodò Joannes xxii. *Extrav. Antiquæ. de voto:* & sub anathemate tenendum præcipitur in Conc. Trid. *Sess.* 24. *de Sacram. matr. can.* 9. cujus textum vide suprà *N.* 52. repetendum iterum infrà *N* 228. Unde Alexander III. *c. sanè* 4. *de Clericis conjug.* Sacerdotũ nuptiæ, ait, *non nuptiæ, sed contubernia* (quid verò contubernia fuerint Romanis, notavi aliquando *N.* 75.) *sunt potiùs nuncupanda.*

226. Atque hoc impedimentum tangere etiam Clericos Ecclesiæ Orientalis, seu Græcos, in Majoribus constitutos, cum *communiori* jam sententia docent Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 78. *n.* 3. *&* 4. Reiffenst. *l.* 4. *tit.* 6. *n.* 4. Quapropter, quid quid olim fuerit, de quo aliqualiter Marchantius *Tom.* 3. *Tribun. Sacram. p.* 1. *tract.* 6. *tit.* 3. *q.* 3. non amplius validè inire possũt matrimonium, sed ut decernitur *c.* 7. *dist.* 32. ex VI. Synodo: *Si quis eorum --- voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatûs faciat.*

Hæc igitur differentia tantùm reperitur

ritur inter Orientalis,& Occidentalis Ecclesiæ Clericos, quòd *Orientales* (*c. cùm olim 6. de Cleric. conjug.*) *in Minoribus Ordinibus* (vel etiam antecedenter) *contrahunt, & in superioribus utuntur matrimoniô jam contractô*, quia *Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit*, quantùm ad hoc, quòd illius Clerici tenerentur ab uxoribus, antea ductîs, abstinere. Ex quo *sequitur*: uxoratos non tantùm non prohiberi ab ulterioribus Ordinibus, sed promotos etiam licentia conjugali uti posse, & unà quoque in Ordinibus ministrare. E contrà verò *cit. Extravag.* Clericis Romani Ritûs authoritate Apostolica districtiùs prohibetur, *ne quisquam durante matrimonio, nondum etiam consummatô, aliquem de Sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout Sacris Canonibus noverit consentire* id est, de licentia uxoris suæ, quæ simul debet, aut vovere continentiam extra aliquam Religionem, aut in ea, de quo Canonistæ *ad tit. de Clericis Conjug.* vide item dicta *N.* 53.

227. *Dubitabis* autē *I.* Unde Ordo Sacer obtinuerit vim irritandi matrimonium? *Respondeo:* certè non à Jure naturæ, cùm ex nullo capite ostendi valeat incompatibilitas statûs matrimonialis cum Clericali. Nec à Jure Divino, quia nul-

nullibi in Scriptura decisum, aut revelatum reperitur. Sed à Jure Ecclesiastico tantùm: nam *c. 1. qui clerici, vel voventes*, expressè dicitur, Subdiaconum nequire matrimonium contrahere *ex Sacrorum Canonum Censura: & c. ut Lex 40. xxvii q. 1.* apertè dicit Innocentius II. copulationem Clericorum, & Monachorū *contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam.*

Negari nihilominùs nequit, hoc statutum esse rationabile, siquidem apud barbaras quoque nationes usurpatum legitur, ut Sacerdotes, & Sacri Ministri vel uxores non ducerent, vel diebûs, quibûs ministrabant, ab uxoribus abstinerent: quem morem de Ægyptijs Sacrificulis refert Clemens Alexandrinus apud Marchantium *citat.* unde Tibullius *lib. 2. Elegiar. Eleg. 1.* canit.

Vos quoque procul abesse jubeo, discedite ab Aris,
Quèis tulit hesternâ gaudia nocte venus.

Quem morem etiam Judæis placuisse, probat Mathias summus Sacerdos, cui aliquando teste Josepho *lib. 7. Antiquit. c. 8.* non licebat sacra facere vel eô tantùm, quòd somniâsset, se cum uxore rem habere: si ergo illis Sacerdotibus incongruum visum, etiam licitæ vacare libidi-

ni

ni ob reverentiam Sacrificij, quod apud Judæos umbra tantùm erat Sacrosancti Sacrificij novæ Legis, immò apud Gentiles mera superstitio idololatrica: quantò magis Clericis hujus temporis, *cùm sint Templum, vasa Domini, & Sacrarium Spiritûs Sancti debeant esse, & dici, indignum est, Cubilibus & immunditijs deservire.* Et si Apostolus 1. *ad Corinth.* 2. hortatur abstinentiam ab opere conjugij, etiam Laicis servandum, ùt liberiùs, & mente à carnis delectatione non sopitâ, orationi vacare valeant; *Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est, si semper orandum est, ergo semper matrimoniô carendum esse*, argumentatur S. Hieronym. *lib.* 1. *contra Jovinian.* relatus *c.* 7. *dist* 31. *causa* igitur *hujus institutionis munditia Sacerdotalis fuit, ut* (Clerici, & Sacerdotes) *liberè cunctis diebûs orationi possint vacare.* ait Gratianus post *can.* 1. *dist.* 31. Quæ munditia ut exactiùs servetur, convenientissimè voluit Ecclesia suis Ministris in Sacris constitutis, omne omninò negare matrimonium, *ut lex continentiæ, & DEo placens munditia in Ecclesiasticis personis* & Sacris Ordinibus dilatetur. *c.* 40. *xxvii. cit.* Vide Scotum 4 *d.* 37. *q. un.* P. Reiffenst. 3. *lib. tit.* 3. *n.* 6. & 7. & alios

Ca-

Canoniſtas, qui hujus Legis motiva ampliùs enumerant : & Controverſiſtas, qui eam contra Hæreſiarchas, noſtri præſertim temporis, validè propugnant.

228. *Sed ſi dubites* utrùm Eccleſia per legem ſuam duntaxat inhabilitaverit Majoriſtas ad matrimonium, vel verò appoſuerit Ordini Sacro votum, ita ut quicunque illum ſuſceperit, cenſeatur implicitè continentiam ſolemniter vovere? *Reſpondeo*, primum multùm probabiliter ſuſtineri à Scoto *l. c.* quem ſui comuniùs ſequuntur, favente etiam Caramuele tùm alibi, tùm *lib. 3. Theolog. fundam.* agendo de hoc impedimento. Fundamentum deſumitur ex Concil. Trid. *Seſſ. 24. cit. can. 9. ſi quis dixerit : Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolenniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractúmque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel voto &c. anathema ſit.* Quemadmodum enim de duplici genere perſonarum loquitur, Clericis videlicet, & Regularibus, ita non unum fundamentum, ſed duplex aſſignat illorum incapacitatis ad matrimonium : *Legem* nimirum *Eccleſiaſticam*, quam ad Clericos, & *votum*, quod ad Regulares refert. Aliam rationem infrà *N.* 236. tangam.

229.

229. *Nec obſtat*, quòd in Jure tùm *M. citt.* tùm alibi patenter exprimatur, Ordinib. Sacris votũ ſoleñe ab Eccleſia añexũ eſſe. *Quia enim* Lex Eccleſiaſtica de continentia Clericorum procedit ex motivo Religionis, ob reverentiam ſcilicet ſacri, Divinique Miniſterij, ac puriorem cultum DEI, quod motivum reſpicit quoque votum; non immeritò ea Lex voto æquiparatur, illiúſque nomen ſortitur: præſertim cùm etiam Ordinem liberè tantùm ſuſcipientibus ea lex imponatur, ſicut votum liberè emiſſum eſſe debet. Ne verò quiſquam crederet, hac lege præcipi tantùm continentiam, & ob id matrimonium illicitum quidem reddi Clericis, non tamen invalidum, ad normam Interdicti Eccleſiaſtici, quod inter Impedimenta impedientia recenſetur; dicitur, eam Legem habere vim voti ſolennis, omne conjugium ſubſequens ſimpliciter annullantis.

230. Ex hac ſententia *deduco*, Clericum in Majoribus, ſi opere externo delinquat contra caſtitatem, præter peccatum in genere luxuriæ eſſe etiam Sacrilegij reum: quàmvis enim ex voto non obligetur ad continentiam, obligatur tamen ex præcepto Eccleſiæ ſpeciali, procedente ex motivo Religionis, quod reponit

ponit actum ad distinctam speciem juxta doctrinam de Peccatis, quòd scilicet ex diversitate præceptorum (modò ex diversis motivis ferantur) diversificentur peccata. Mastrius 4. *disp.* 7. *n.* 447.

Si opere externo, inquam, *delinquat*: siquidem cùm satis *cõmunis* Opinio actus merè internos non subjiciat Legi Ecclesiasticæ, evidens est, Clericos Majoristas, dum solo actu interno castitatem violant nullius sacrilegij argui posse. Sporer *de matrim. n.* 47. nisi se castitatis votô aliundè obstrinxissent.

231. *Dubitabis II.* An etiam invalidè ordinati incurrant hoc impedimentum ? *Respondeo negativè* eô, quòd Ecclesia Ordinatos tantùm inhabilitet ad matrimonium, quales non sunt nulliter Ordinati ; quamquàm & hi in foro externo à conjugio retrahentur, donec defectum Ordinis non probaverint.

Quia igitur amentes, & dormientes, nisi ante somnum, & amentiam ordinari voluerint, validè non ordinantur, etiam ab hoc impedimento liberi manent. Itẽ ij, qui *omninò inviti, & reluctantes* Ordinibûs initiarentur : *nam qui nunquàm consentit, sed pœnitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expressè contradicere, quàm mini-*

mè consentire, quod & de Baptismo, & de Ordine verificatur: *c. Majores. de Baptismo.* Ubi etiam concluditur, quòd *tunc* tantùm *Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Vide, quæ de Pueris ante usum rationis dicam §. *seq. N.* 240. *& seqq.*

Nota benè *omninò inviti*, dixi, *& reluctantes*; aliud enim est de *illis*, qui gravi metu adiguntur ad susceptionem Sacrorum Ordinum, cùm enim maneant simpliciter, licèt non politicè, seu plenè liberi *ex dictis de Impedimento vis, seu metûs*, de valore ordinum Theologi nequaquàm dubitant: sed tantùm.

232. *Utrùm* hi quoque ad continentiam obligentur? Et quidem P. Pichler 4. *tit.* 6. *n.* 7 tales post Abbatem, Paludanum &c. absolutè obligat eô, quòd metus non tollat voluntarium: quòd autem minuat illud, solùm sequitur, quòd allegatô, & probatô metu dispensatione ab impedimento Ordinis dignos esse, quam etiam facilè consequentur. Ad hanc sententiam videtur quoque inclinare Caramuel *l.* 3. *Theolog. fund. n.* 3777. licèt positivè nihil statuat.

At triginta, & unus ex Theologis, & Juristis apud, & cum Sanchez *l.* 7 *de matr.*

matrim. disp. 29. *n.* 5. defendunt oppositum, quibus adde Marchantium, Pirhing, Mastrium, Reiffenst. Sporer *ll. cit.* & Clericatus *in suis discordijs forens. civil. Discordiâ* 33. *n.* 1. ait, id certissimum esse, & notandum, quòd Sanchez citet Rotam Romanam in Novissimis *p.* 1. *Decis.* 561. *in fine*, attestantem de stylo Curiæ, & Baltasarum Morgillon, qui asserit, se tribûs sententiîs judicialibûs pro hac opinione obtinuisse. Continentia enim perpetua est opus non tantùm magnæ excellentiæ, sed etiam valdè arduũ,& Lex de ea æquiparatur voto soleñi Professionis, ùt patet ex *N.* 229 adeoque sicut votum ob metum gravem non obligat secundum *Omnes*: ita nec Lex illa ob defectum plenæ libertatis.

Accedit, quòd juxta *communem* Doctrinam contractus illi, qui naturâ suâ perpetui sunt, & non facilè rescindibiles, aut non sine damno aliquo remanente, per gravem metum sint ipso Jure nulli: cùm ergo etiam continentia, Ordinibus Sacris adnexa, sit perpetua: eo metu ordinati Legi continentiæ nequaquàm subjacent; & vel maximè de benignitate piæ Matris Ecclesiæ præsumendum est, quòd eos, quibus aliàs non status Clericalis, sed matrimonium potiùs gratum est,

ùt contingit in gravem metum patientibus, ab eo impedire nolit.

233. *Nec* ex eo, quòd Ordo gravi metu susceptus sit validus, arguere licet, valere quoque Legem continentiæ, Ordini ex Ecclesiæ voluntate accedentem juxta *Reg.* 42. *I. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis. Nam* etiam Ordo, infanti ante usum rationis collatus, valet ex *communi* Opinione, nec tamen ad continentiam tenetur. Fallit igitur ea Regula, dum accessorium non est secundum necessariam consequentiam principali connexum, sed solo Jure humano; éstque summè arduum, ut verisimiliter conjici possit, Legislatorem, omnem casum sub accessorio illo comprehendere minimè voluisse, prout ex Barbosa docet P. Reiffenst. *ad cit. Reg.*

234. Hæc porrò intellige juxta omnia ea, quæ dixi *de Metûs Impedimento*, videlicet, illum debere esse gravem, injustum, & directè ad suscipiendos Ordines incussum. Item in casu tantùm, quô ita ordinatus non ratificâsset Ordinem (cessante scilicet metu, & sponte sua exercendo actus ordinis, & alia onera subeundo, aut commoda percipiendo ex beneficio, Ordinem illum in Beneficiato requirente) qui enim ratificat Ordinem

sus-

ſuſceptum, ſi ab eo recedit tanquàm Apoſtata tractari jubetur in Cōcilio Toletano VIII. etiamſi invitus fuerit ordinatus. Aſt ſemper intellige: dummodò ratificanti conſtiterit, Ordinem metu ſuſceptum non obſtare matrimonio, per dicta N. 212. & 213.

Rectè igitur deducit P. Reiffenſt. *l. c. n.* 13. metu gravi ordinatum poſſe adhuc ducere, etiamſi per plures annos fuerit jam Sacerdos, ſi ignoravit, ſe ex tali Ordine non obligari ad continentiam. Nec opus erit diſpenſatione, ſed ſufficiet declaratio, Ordinem ab illo ſuſceptum non cauſare impedimentum, quæ tunc ſequetur à Judice, dum gravem, & injuſtum metum ſibi incuſſum ſufficienter probaverit iis, aut ſimilibus modis, quos *ſuprà de Impedimento metûs* probando adduxi.

235. *Dubitabis III.* Quid de illo, qui ſponte quidem ſuſcepit Ordinem Sacrū, ſed neſciebat, ſe ad continentiam adſtrictum manſurū? *Reſpondeo* P. Pichler *cit. n.* 10. & quosdam alios hôc ipsô, quòd continentia perpetua ſit onus grave, nolle illud ignoranti imponere: quàmvis enim voluntariè eligens ſtatum, cenſeatur ſe ad onera ejus leviora, (etiam ignota ſibi) implicitè ſaltem obligare, non tamen ad

gravia. *Verùm* quia hoc principium valdè dubium est, maximè in casu, quò aliquis sponte desiderat, & petit eum statum, & aliàs discere antè tenetur obligationes illum consequentes: malo, etiam illum, qui se continentiam ignorâsse asserit, ad eam obligari, ne consequenter ille quoque deobligetur, qui scivit quidem vi Ordinis sibi injunctam esse continentiam, attamen arduitatem maximam, quam in ea servanda successivè experitur, & fragilem sui corporis complexionem penitùs ignoraverat; quid namque interest, sive legem duram aliquis nesciat, sive suam tantùm debilitatem in ea observanda ignoret? Est item principium ex materia *de Legibus*, quòd eæ legitimè promulgatæ ligent etiam ignorantem, præsertim si sint annullativæ actûs, licèt ob ignorantiam inculpatam à peccato excusetur, qui contra illas agit, ùt benè notat Sanchez *l. c. disp.* 27. *n.* 11. qui propterea etiam huic sententiæ *communiori* assentitur: Sporer *de matr. n.*47.

Illud autem certum, quòd hæc quæstio in praxi vix locum habeat: tùm quia continentia Clericorum Majoristarum res est, infimæ etiam plebi nota: tùm quia obligatio illius cuivis ordinando publicè prælegi solet. Quocirca qui ad igno-

ignorantiam istam confugere voluerit, licèt coram DEo deobligatus esset, in foro tamen externo gratis laborabit.

Nec quidquam juvat, quòd talis ad Clericatum non ascendisset, si ei id oneris notum fuisset. Non enim attenditur, quid ille facere voluisset, sed quid actu fecerit: actu verò se sua voluntate resolvit ad Ordinem, adeoque actu onera illius subire tenetur, servare videlicet continentiam, & Horas Canonicas recitare.

236. *Estne* idem dicendum de illo, qui voluit quidem ordinari, sed ad continentiam obligari noluit? *Respondeo* cum *communi, affirmativè*, nec audiendi sunt, ait Caramuel *loc cit.* pauci illi, qui id negare volunt. Quemadmodum enim Minoribûs Ordinibûs initiatus, ad Clericalem continentiam non adstringitur, etiamsi credat eam etiam Minoribus annexam esse: ita qui Majores suscipit, non deobligatur à continentia, licèt se ad illam obligare nolit: est etenim præceptum illud Ordini conjunctum, independenter à voluntate ordinati, dummodò ordinationem sui voluntariè admittat.

Ex hac opinione non tantùm roboratur resolutio *prioris dubij*, sed dicta quoque *N.* 228. *& seq.* Clericos nimirum non ex voto, sed merô duntaxat præcep-

tô teneri ad continentiam. Nam cùm votum liberum esse debeat, & voluntariū, ille, qui absolutè renuit, se ad continentiam obligare, utique ab ea liberari deberet, quod nec voti Patroni, saltem potiores, concedunt. *Ajunt* quidem, in tali casu deficiente voto, restare obligationē præcepti. *At* ad quid alternativa hæc obligatio voti, vel præcepti, dum una tantùm sufficit, & pro quocunque casu subsistit?

237. *Dubitabis IV.* Utrùm Ordo Sacer dissolvat etiam conjugiū antecedens, necdum consummatum? *Respondeo, negativè* ob clarum textum *Extrav. Antiquæ: de voto*, ubi Papa de Fratrum suorum consilio declarat, quòd votum Ordinis *ad dissolvendum priùs contractum* matrimonium, *etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum (cùm nec Jure Divino, nec per Sacros Canones hoc reperiamus statutum) invalidum est censendum.* Unde, qui post matrimonium ratum ad Majores Ordines promoveretur, instante uxore (nisi in Religione aliqua profiteatur) ad consummandum matrimonium Ecclesiasticâ etiam Censurâ compellendus est, ùt *ibidem* Papa jubet.

§.

§. III.

Resolvitur casus de Impedimento Ordinis.

Paphnutius vir nobilis, ut filio suo Liburnio de pingui beneficiô, quod eo tempore vacaverat, providere posset, eum, licèt tres tantùm annos natum, Minoribûs Ordinibûs initiari curavit. Crevit Liburnius, sed crescente ætate nullum ad Clericalem, & cœlibem vitam senserat amorem: unde nec aliâ viâ, quàm minîs paternîs & gravibûs induci poterat, ut ad Majores Ordines ascenderet. Ordinatur ergo in Sub-Diaconum, onera illius subit, Officium Canonicum de more persolvit: & ut ad Diaconatũ, ac Presbyteratum se parare valeat, ad monasterium reponitur, â quodam Religioso ibidem debitè instruendus. Sed ecce! moritur interim Pater, & Liburnius incunctanter Monasterio, & Instructori valedicit, sæcularem vitam meditatur, & quid sibi, ac quomodo agendum, rogat.

238. Præmissô Paphnutium lethaliter deliquisse, cogendo ad statum Clericalem filium suum, ùt in simili ajebam *N.* 215. de Parente filiam ad matrimonium cogente eô, quòd electio statûs perpetui plenam præexigat libertatem. Ob quod P. Marchantius agens *de hoc impe-*

dimento q. 65. zelosè hortatur Ordinarios, ut filijs Nobilium, quos parentes ad exonerationem Familiarũ subdolis, fraudulentísque modis, vel minis, & terroribûs in Sacros Ordines, vel Monasteria intrudunt, pro munere suo sedulè invigilare dignentur: res enim gravis est, & ùt plurimum perniciem animarum inducit, cujus consideratio egregium hunc Authorem, ùt de se ipso testatur *q.* 6. dum in Ordine nostro Superioris munus obiret, movit, non tantùm ad ijs, qui terroribûs per parentes compulsi erant ad Novitiatum, in eóque detinebantur, egressum suadendum, sed etiam variis mediis, ut egredi valeant, succurrendum: nec sine fructu, cùm aliquando una die tribus illorum libertatem procuraverit. Præmissis inquam, his

239. *Respondeo:* Liburnium nec ad recitationem Divini Officij, nec ad continentiam obligatum fuisse ratione Ordinis Subdiaconatûs gravi metu suscepti per dicta *N.* 232. *& seq.* Et si Officium recitavit, aliáque hujus Ordinis munia obijt ex eodem metu, quo illum susceperat, ne scilicet Pater, quem timet, reciat illius animum à statu Clericali longè alienũ: non propterea ratificavit Ordinem; quia sicut susceptio, ita & ratificatio Ordinis

dinis plenam poſcit libertatem, ut ſolitas inducat obligationes. Quod idem dicendum, ſi ſe non obſtante illo metu crediderat ad ea onera obligatum eſſe ex dictis *N.* 233.

Hæc autem omnia diligenter ſecum ipſo perpendere, aut cum alio diſcutere debet, antequàm pro liberatione oneris Subdiaconalis quidquam agat; dúmque concluſerit, ſe unâ, alteráve ex dictis rationibus non obligari, videat inſuper, an ad probandum metum eas præ manibus habeat conjecturas, quæ ad favorabilem in Judicio ſententiam ſufficiunt, quales ſunt allegatæ *de Impedimento Metûs*, illísque ſimiles. Si ita? inſinuet ſe Ordinario, metum gravem ſibi injuſtè illatum deducat, & declarationem petat, ſe ratione illius nequaquàm obligari ad vitam Clericalem; ſemper etenim neceſſaria eſt hæc declaratio, ut qui publicè eſt Subdiaconus, publicè etiam ad vitandum ſcandalum reddatur liber, & abſolvatur ab effectu Ordinis.

Si verò ſimilibûs, quæ in Judicio fidem faciunt, deſtituitur conjecturîs, & argumentîs, aliqua tamen producere, & deducere poteſt, quæ extrajudicialiter viro prudenti ſatis ſuadere valent metum, recurrat Romam pro diſpenſatione &

con-

continentia propter metum, quam non tantùm ex ea ratione de facili obtinebit, ùt notant P. Pichler *loc. cit.* & alij; quia Eccleſia neminem intendit ad continentiam adſtringere, & â conjugio prohibere, qui injuſtô metu Clero adnumeratus eſt: ſed cauſam ſuam multùm quoque alleviabit. Etenim quàmvis ille, cui diſpenſatio demandata fuerit, teneatur de exiſtentia metûs inveſtigare ob clauſulam, quæ Litteris diſpenſationis de prævia informatione veritatis inſeri ſolet: Nihilominus, ut jam olim *N.* 124. notavi ex Clericato, ea informatio non eſt judicialis, ſed extrajudicialis, & ſummaria quodammodo, ſine ordine, formâ, judicij, & per teſtes non juratos acquirenda, cujus ſufficientia committitur prudentiali judicio, & conſcientiæ Delegati. Reiffenſt. *in Appendic. ad* 4. *Decretal. n.* 324. citans alios. Præſertim cum Delegatus non ſit Judex propriè, ſed Executor tantùm gratiæ, & favoris per Sedem Apoſtolicam conceſſi. Marchantius *caſu* 2. *Reſolutionum notabilium variorum caſuum*, cujus proinde muneris non eſt, tam rigidas exigere probationes, quæ ad formale judicium deſiderantur: quia enim *l.* 1. *ff. quod quisque Juris. Verba intelligenda ſunt* (ergo etiam Reſcrip-

ſcripta) *cum effectu, ita ut aliquid operentur, & non ſint ſuperflua*: ſi ad executionem diſpenſationis ea pro probando metu deſiderarentur argumenta, quæ ad judicium formale, ſuperflua foret diſpenſatio eò, quòd apparentibùs ijs argumentìs aliunde ab Ordinario procedi poſſit ad declarationem de non obligatione continentiæ. Et hoc ampliùs *confirmatur* ex doctrina Juriſtarum *ad tit. de probation.* quando ſcilicet etiam Judici cauſa aliqua ſub ea clauſula committitur, ut procedat, *ſola facti veritate inſpecta*, ſufficere probationes leviores, & merè perſuaſivas. Ex Menochio, & Barboſa Reiffenſt. *ad cit. tit. n.* 67.

Immò propter hanc majorem facilitatem probandi metum regulariter ſuadendus videtur recurſus ad Papam pro diſpenſatione: tùm quia evenire poteſt, Ordinarium, licèt propè certa ſit ſententia, quæ ſuſtinet, Odinem metu ſuſceptum non cauſare impedimentum matrimonij, inclinare ad oppoſitam ſententiam P. Pichler, & quorundam aliorum, qui proinde juridicè etiam deducto metu declarare nollet, ita ordinatum ad continentiam Clericalem non obligari.

240. *Quæres* occaſionaliter: An quatuor Minores Liburnio in ea infantia validè

lidè sint collati. *Respondeo* P. Marchantium *Tom.* 3 *Tribun. Sacr. p.* 1. *tract.* 6. *tit.* 3. *q.* 5. *conclus.* 1. cùm Durando. *d.* 25 *q.* 2. defendere, nullum Ordinem ante usum rationis validè conferri: cùm enim inordinatio aliqua appareat, Characterē Ordinis cum potestate illi imprimi, de quo nescitur, an ea aliquando uti voluerit (nam certū est, quòd infans ordinatus, dum ad ætatem altiorem pervenit, possit resilire ab Ordinibus, & laicalem vitam agere, ùt *paulò pòst* dicam) de Christo, qui omnia ordinatè instituit, supponendum potiùs est, eum noluisse, ut Ordo ante usum rationis collatus valeat. Ponit igitur pro Regula: ea Sacramenta ante usum rationis collata non valere, quæ pro materia, aut ex fine principali requirunt actionem aliquam deliberatam: benè verò alia, quorum finis in passiva potiùs gratiæ susceptione collocatur. *Primi generis* sunt Pœnitentia, quæ actus deliberatos pœnitentis pro materia exigit; Ordo, qui ad ministeria, usum rationis requirentia, institutus est: matrimonium, quod in contractu libero consistit: & extrema Unctio, quæ peccata venialia supponit. *Posterioris* vero Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia. Præterquàm quòd Baptismus sit secunda Nativitas,

seu

seu regeneratio, sicque quemadmodum prima generatio non requirit usum rationis geniti, ita nec secunda.

241. *Verùm communis* est *DD.* persuasio, Ordinem, etiam ante usum rationis collatum, esse validum, *arg. c. Tuæ litteræ. de Clerico per saltum promoto*, ubi ille, qui, *dum infrà annos discretionis fuerat constitutus*, Minores susceperat, & deinde sine Subdiaconatu ad Diaconatũ immediatè ascenderat, jubetur quidem, in Subdiaconum ordinari ad supplendum defectum, non tamen, ut Minores iterum suscipiat, utique, quia supponitur, illos validè collatos. *Nec* videtur convincere ratio, quam Marchantius ab inordinatione deducit. *Siquidem* etiam ille, qui post adeptum usum rationis Minoribûs initiatur, & Characterem, ac potestatem quandam recipit, liber est, ut eâ utatur, vel ad matrimonium convolet. Quod idem evenit in eo, qui habens usum rationis, gravi, & injusto metu ad Sacros Ordines compellitur; ex Ordinibus enim validè collatis recipit characterem cum potestate spirituali & tamen probato metu (immò in foro conscientiæ eô non probatô, nisi scandalum impediat) ad Laicatum redire potest. Quocirca non tantùm ratio illius, ab inordinatione

ne petita, infirma esse videtur, sed etiam Regula generalis ab eo posita, cujus locò substituenda est hæc alia ex Mastrio 4. *sent. disp.* 7. *n.* 446. Ea videlicet Sacramenta ad sui valorem usum rationis requirere, quorum pars intrinseca, aut necessaria sunt actus suscipientis, ùt Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium duntaxat.

Admittit nihilominùs hæc *communis sententia*, Infantem ante usum rationis ordinatum, non obligari ad continentiam, vel alia onera status Clericalis nisi usum rationis subinde attingens, susceptum in infantia Ordinem verbô, vel factô ratificet, vel expressè declarando, se illum ratum habere, vel exercendo actus illi proprios, & quidem cum scientia, quòd Ordo ante usum rationis susceptus ad nihil obliget, prout per decursum in similibus sæpiùs adnotaverã.

242. *Sed quando*, aut quo tempore debet hæc ratificatio fieri? *Respondeo*, Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 30. *n.* 8. citatis Barbosa, Abbate, & alijs, requirere, ut ea ratificatio fiat adepta jam pubertate: immô nunc post decimum sextum annũ completum, qui annus de Jure Tridentini exigitur ad valorem voti solenis professionis. Ratio est, quòd præceptum de

continentia, Ordini Sacro annexum, parificetur cum voto solenni professionis ex dictis *N.* 229. P. Reiffenst. verò 4. *tit.* 6. *n.* 7. cum Bonacina, & alijs sustinet, probabiliùs sufficere, ratificationem fieri adveniente simpliciter usu rationis, etiam ante pubertatem : Jura enim nullum tempus determinant, & ratio haud aliud suadet, nisi ut ille tantùm ad continentiam adstringatur, qui voluntariè Ordinem Sacrum suscipit, & anteà susceptum ratificat. Nec præceptum Ordini Sacro annexum, in omnibus voto solenni æquiparatur, aliàs etiam dissolveret antecedens motrimonium non consummatum contra dicta *N.* 237. *Tùm* quia status Clericalis non est ita arduus, ac status Religiosus; unde non mirum, quòd amplior usus rationis ad illum requiratur. Crederem tamen, usum rationis non debere in rigore *intelligi*, sed moraliter, dum scilicet *in communi*, & prudenti existimatione aliquis sufficientem usum rationis possidere præsumitur.

LIGAMEN.

§. I.

Polygamia practicata.

243. POlygamiam, seu unius viri cum

pluribus uxoribus conjugium non tantùm nunc in Turcis videmus, & Persis, sed olim etiam â multis Gentibus approbatum legimus: ut enim præteream Platonem, qui in *Libris de Republ.* non tantùm quoad possessiones, sed etiam quoad uxores communitatem servandam commendaverat: cui proximè accessit Ælius Verus Imperator, qui teste Guevara *in Horol. Princip. l. 2. c. 4.* ex Spartiano, uxori de alienis voluptatibus conquerenti, repositum, sufficere, si illius consuetudine, donec concipiat, utatur: reliquo tempore sibi licere, cupiditatem per alias satiare fœminas. Ut præteream, inquâ, hos, & similes plùs, quàm Polygamiam audentes, & ùt D. Aug. *l. de bono viduit. c.8.* (refertúrque *c. nuptiarum. 41. xxvii. q.1*) dicit, filiorum procreationi operam dantes more canino per usum promiscuũ fœminarum.

Athenienſium Sapientes expulsis pellicibûs Legem tulêre de duplici uxore habenda eo fine, ùt arbitratur Plutarchus *in Politicis*, ut si morbô, vel puerperiô detineatur altera, domi esset, quæ lectum occuparet, mensámque curaret: credebant enim virum sine uxoris consuetudine vivere nec posse, nec debere. Ægyptij quoque, antequàm faniores accepis-

cepissent Leges, pro voluntate, & facultatum modò singuli plures duxerunt uxores. Immò & Luthero placuit Valentiniani senioris Imperatoris, aliàs Catholici temeritas, qui referente Socrate *l. 4. suæ historiæ. c. 31.* apud Sanch. *l. 7. de matrim. d. 80. n. 5.* Justinæ amore obcœcatus, ut eam Severæ, uxori suæ viventi, superinduceret, sancivit, universis duas concedendas esse uxores: ratus, turpe non esse, quòd universorum moribùs probaretur. Plura similia exempla exarata videntur in Historia non tantùm profana, sed etiam Sacra, quæ *Genes. 6.* narrat Abraham & Saram, & Agar in uxores habuisse, & *Gen. 29.* de Jacob, qui Liæ, Rachelis, Balaæ, & Zelphæ maritus erat. Idem de Moyse *Num. 1.* & alibi de alijs.

244. Polyviria ê contra, quæ *Biviria* à Scoto *4. d. 33. q. 1.* à Caramuele autem *Polyacœtia* appellatur, est conjugiũ unius uxoris cum pluribus viris. Et quàm quam hæc indecentior sit, quàm Polygamia ex dicendis *ff. seq. N. 250.* non deerant tamen, quibus placere visa est. Quia enim Athenienses Polygamiam admiserunt, Lacedœmonij, qui in pacis, bellíque negotijs contrarij illis erant, pro Lege habebãt, ut duobus fœmina viris nu-

beret; & ne huic quoque turpitudini sua deesset ratio, eam prætexebant, ut alterô virô in militiam profectô, domi maneret alter. Refert item Julius Cæsar *l. 5. in Commentarijs*, Britaniæ Incoliseum olim morem fuisse, ut una fœmina quinque virorum uxor foret. Plura videantur in Historicis.

§. II.

Impedimentum Ligaminis.

245. QUidquid aliquando in usu fuerit, certum est, nunc omnem Polygamiam, & multô magis Polyviriam damnari, nec nisi *Monogamiam*, seu unius cum una valere conjugium, eúmque, qui uni (vel ê contra) conjugali vinculô copulatus est, inhabilem reddi ad aliam ducendam, ùt habetur *c. In præsentia 19. de Sponsal. & matr. c. duobûs modis 1. de sponsa duorum*, & alibi. Et si

246. *Quæras*, quo Jure sit hoc impedimentum inductum? Attende ad Rescriptum Innocentij III. relatum *c. gaudemus 8. de Divort.* in quo eos, qui *circa plures insimul fœminas affectum dividunt conjugalem*, sequentibûs reprimit: *Absonum videtur, & inimicum fidei Christianæ, cùm ab initio una costa in unam fœminam sit conversa: & Scriptura Divina testetur:* prop-

propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Non dixit tres, vel plures, ſed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, ſed uxori. Nec ulli unquam licuit, inſimul plures habere uxores, niſi cui fuit Divina revelatione conceſſum, quæ mos quandoque, interdum etiam fas cenſetur (quibus verbis Papa reſpexit ad S. Auguſtinum *l.* 22. *contra Fauſtum c.* 27. dicentem : *ſi morem* conſulas, *illo tempore, & in illis terris hoc facilitabatur*, conjugium ſcilicet cum pluribus: loquitur autem de antiquis Patriarchis) *per quam ſicut Jacob à Mendacio* (dum Patri dixerat, ſe eſſe Eſau primogenitum) *Iſraëlitæ à furto* (ſpoliantes Ægyptum) *& Samſon ab homicidio* (ſe quoque cum Philiſtæis ſub ruderibus concuſſæ domûs ſepeliens) *Sic & Patriarchæ, & alij viri, qui plures leguntur, ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur. Sanè veridica hæc ſententia, probatur etiam teſtimoniô Veritatis, teſtantis in Evangelio: quicunque dimiſerit uxorem ſuam ob fornicationem, & aliam duxexit, mœchatur: Si ergo uxore dimiſſa duci alia de Jure non poteſt, fortiùs* (à fortiori) *& ipsâ retentâ : per quòd evidenter apparet, pluralitatem in utroque ſexu .... reprobandam.* Ex quo.

247. *Concludo I.* Licèt Polygamia non sit contra Jus naturæ primarium (ùt Scholastici loquuntur) & indispensabile: cùm enim matrimonium sit ad procreationem prolium ordinatum, unus autem sufficiens sit ad plures fœminas successivè fœcundandas, Polygamia fini essentiali conjugij minimè contradicit. Quia tamē plurium origo malorum esse solet; imprimis namque Zelotypia, *quæ graves calamitates secum afferre solet*, ùt ait Philo *de specialib. Legib.* à pluralitate uxorum difficulter abest. Testis est Socrates, cujus uxores Xãtippes, & Myrto magnâ arsêre Zelotypiâ, ut ille ipse miraretur, se ita deformem, ùt erat, ejus occasionem esse: dúmque exprobrâsset eidem Alcibiades, quòd duas tam molestas patiatur cõjuges, respondit: *hæ me domi docent tolerantiam, quâ in publico utendum est.* Impedit item amorem mutuum, cùm, ùt ait Ammianus, *per libidines varias* (seu cum pluribus fœminis practicatas) *charitas dispersa torpescat.* Vide alia in Sanch. Pichler, &c.

Ideo tanquàm rationi naturali parùm consona ex ipsa institutione matrimonij, quòd est signum conjunctionis unius Sponsi Christi cum unica sponsa Ecclesia, juxta illud *ad Ephes.* 5. *Sacramentum*

tum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia: Jure Divino vetita est Polygamia: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.* definit Trident. *Sess. 24. de Sacr. matrim. can. 2.*

248. *Concludo II.* Semper illicitam fuisse, & esse uxorum pluralitatem, nec cohonestari, nisi speciali Divina dispensatione: quidquid enim sit de eo, an Deus possit dispensare in ijs, quæ sunt de Jure naturæ primario (de quo Theologi) certum est, posse in ijs, quæ sunt de Jure naturæ secundario; cùm igitur Polygamia non nisi contra hoc Jus secundarium militet ob aliqua inconvenientia rationi naturali dissona, quæ autem impediri possunt, potuit Deus cum Patribus antiquis in hoc puncto dispensare, & reverà etiam dispensavit ex *communi* opinione Ecclesiæ, de quo quidem apertè non constat, supponitur tamen ex Sanctitate antiquorum Patriarcharum, qui utique totâ vitâ ad mortem usque in peccato mortali, si Polygamia fuisset illis vetita, perseverâsse non sunt dicendi: tùm quia in Scriptura *Deutor.* 20. supponitur, populo Israël pluritas uxorum nec reprehenditur, cùm tamen plura alia apertè

reprobentur, & variæ Leges ibidem ferantur.

249. *Sed* qua ratione fuit hæc dispensatio per instinctum internum concessa? *Respondeo*, ratione multiplicationis hominum ampliùs promovendæ, non quidem hominum simpliciter: aliàs in exordio potiùs mundi conveniens fuisset ea dispensatio propter majorem paucitatem generis humani: sed Cultorum veri Dei: *quia pauci erant Cultores DEi, necessitas* (convenientia) *fuit, ut multiplicentur Cultores DEi, quantùm possent: quia in sola successione eorum* (Israëlitarum) *mansit fides, & cultus Divinus.* Scotus 4. *d.* 33. *q.* 1. consonat Gratianus, *ad c.* 2. *xxii. q.* 4. dicens: *cùm cæterîs in Idololatria relictis Abraham, & filios ejus in peculiarem populum sibi elegisset, ritè multarum fœcunditate mulierum populi DEI multiplicatio quærebatur: quia in successione sanguinis eo-* [illegible] *successione Familiæ* (non in spontanea electione, ùt præsenti tempore) *successio constabat Officij Sacerdotalis.* Quapropter cùm hæc causalis dispensationis non reperiatur in populo gentili: sicut modò, ita tunc etiam interdicta illi mansit Polygamia, nisi ex capite ignorantiæ ex-

excusandi fuissent, credentes eam, quam ab Israëlitis practicatam noverunt, sibi quoque, aut de se licitam esse.

250. *Concludo III.* Polyviriam multò magis esse interdictam Jure naturali, & Divino, quàm Polygamiam, utpote fini essentiali matrimonij, qui est procreatio sobolis, multùm adversam, docente experientia in meretricibus, quæ cum pluribus, & obvijs quibusque commixtæ, rarissimè fœtantur. *Si ergo una concumbat cum pluribus, quia nulla hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis* duntaxat, *conjux non est, sed meretrix*, ait. D. Aug. *l.* 3. *de doctrina Christ. c.* 12. Crederem proinde, stante moderna institutione conjugij, quæ est principaliter ad conservationem speciei humanæ, Biviriam vix non esse de Jure naturæ primario interdictam.

251. *Concludo IV.* Nulla dispensatione Pontificia Polygamiam reddi posse licitam: quæ enim Jure Divino, & naturali simpliciter interdicuntur, transcēdunt Authoritatem, & potestatem Papalem: unde inter figmenta rejiciendum, quod narrat quidam apud Caramuelem *lib.* 3. *n.* 3771. Salomoni Tosano (qui Judæus erat) Urbanum VIII. permisisse, ut duas, sed in diversis oppidis, uxores duceret: nisi dicere fors velis,

Papam, ut Dominum temporalem (nam jurisdictionem Pontificiam, & Ecclesiasticam in Judæos non obtinet, nec credibile eum, ùt Papam à Judæo consultum fuisse) id admisisse, & admittendo errâsse: nec enim sub ratione Principis sæcularis infallibilitatem obtinet, sed erroribus, ùt alij, exponitur. Similiter non credo, quendam Sabaudiæ Ducem ex conscientiâ, & consensu Papæ aliquibus Judæis, ut haberent plures uxores, indulsisse.

252. *Nec opponas*, Gregorium III expressè sustinuisse, & docuisse pluralitatem uxorum, ita enim, ùt refertur *c. quod proposuisti* 18. *xxxii. q.* 7. rescripsit Bonifacio Episcopo: *Quod proposuisti, si mulier, infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis* (potiùs) *non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit* à consortio viri. *Respondeo enim* cum Sanchez *cit. d.* 80. *n.* 16. adducente Glossam ad *cit can.* Pichler 4. *tit.* 4. *n.* 12. ex Barbosa, & alijs, infirmitatem illam fuisse perpetuæ impotentiæ, ex arctitudine uxoris provenientis, quæ

cùm

cùm invalidum reddat matrimonium ex dicendis *suô locô*, absque dubio potest maritus aliam ducere, si continere noluerit. Quòd autem subsidium dimissæ non sit subtrahendum, id de dote tantùm intelligitur, ut ratio ibi subjecta indicat: *quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit*: quam enim culpa adulterij à viro excludit (licèt quoad thorum solummodò, & tectum) dote destituitur.

Nec rursus opponas Alexandrum III. qui apertè fatetur, suos Prædecessores à Polyviria non abhorruisse: dum enim, ùt habetur *c. licèt 3. de sponsa duor.* declaravit, eam, quæ nupsit alteri post matrimonium jam cum uno contractum, sed non consumatum, ab altero separari debere, *& ut ad primum redeat, Ecclesiastica districtione compelli*, addidit: *quàmvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Sensus *siquidem* est, quòd licèt aliquando à Pontificibus Romanis fuerit in particulari aliter judicatum, id est dispensatum cum aliquibus, ut post matrimonium ratum potuerint aliud inire: universaliter tamen, & sine dispensatione Papæ id nec licet, nec valet, sed fœmina ita contrahens primo marito est restituenda. Pichler *l. c.* ex Wagnereck.

253. *Concludo denique V.* Sicut contra Caramuelem concluſeram *N.* 54. *& ſeqq.* per extenſum, non niſi ex voto ſolenni valido oriri impedimentum dirimens matrimonij ſubſequentis: & *N.* 84. docui, cognationem ſpiritualẽ provenire ex Baptiſmo, & Confirmatione validîs tantùm, ac *N.* 231. aſſerui, Ordinem Sacrum validè ſolummodò collatum cauſare impedimentum dirimens. Pariformiter etiam in propoſito contra Marchantium (qui *de Sacramento Matrimonij caſu* 1. poſitô *inter Reſolut. notabiles variorum caſuum* oppoſitum reſolvit) aſſero impedimentum Ligaminis non exſurgere, niſi ex matrimonio valido, ſempérque verum eſſe in ſimilibus illud, quod dicitur *L.* 129. *ff. de R. I. Cùm principalis cauſa* (Votũ, Ordo, Baptiſmus, Matrimoniũ) *non ſubſiſtit, ne ea quidem, quæ ſequuntur* (impedimenta) *locum habent*: quòd vel maximè currit in propoſito eô, quòd Impedimentum Ligaminis non ex mera voluntate Eccleſiæ, ſed ex Jure Divino, & naturali ſequatur ad matrimonium indiſpenſabiliter. Unde qui matrimonium contrahit cum impedimento occulto (v. g. affinitatis, ſi peccavit antecedenter cum conſanguinea ſuæ uxoris) non laborat impedimentô ligaminis: non enim liga-

ligatur uxori, qui nullam habet: cùm ergo talis nullam habeat, illi, quæ putatur esse, non alligatur, sicque in foro conscientiæ aliam ducere liberè potest.

Verùm quidem est, in foro externo, dum non constat de impedimento affinitatis, Ecclesiam numquàm, admissuram, ut aliam ducat, sed ideo, quòd præsumat matrimonium primum esse validum: sicut etiam talem per censuras compelleret, instante uxore, ad reddendum illi debitū, quia nimirum credit, matrimonium esse firmum, licèt illa numquàm reddere audeat. Hucusque tamen Ecclesia necdum declaravit, ex matrimonio quoque invalido resultare impedimentum Ligaminis: nec id Scriptura sacra, ex qua hoc impedimentum habetur, indicat. Non est igitur ratio, voluntariè asserendi impedimentum: præsertim cùm impedimentum quodcumque sit odiosum, & strictæ interpretationis, nec sine claro Jure statuendum, ùt *Omnes* advertunt

Ex hîs, & *ll. citt.* dictis facilè respondetur ad fundamentum P. Marchantij, quod in illo videndum. Quid autem in talis facti contingentia agendum sit, deducitur ex dictis *à cit. N.* 54. & magis *N.* 78. *&* 79. nec ampliùs resumi debet.

254. Posset hìc occurrere quæstio alia de

de Repudio, quod *Deutor.* 14. & *Malach.* 2. â Moyſe DEI Præcone promulgatum eſt Judæis, tamquàm licitum. Sed cùm ex dictis pateat, illud non ampliùs licere eô, quòd matrimonium ſemel contractũ ſit indiſſolubile (quomodo autem, & qualiter potuerint olim uxores dimitti etiam cum diſſolutione matrimonialis vinculi, non pertinet directè ad propoſitum) ob brevitatem ſupersedeo. Cœterùm hanc q. clarè, & exactè pertractat Scotus 4. *d.* 33. *q.* 3.

§. III

Quædam pro praxi omninò neceſſaria explicantur.

255. PUnctus difficultatis, quæ impedimentum ligaminis tangit, principaliter in eo manet, quomodo conſtare debeat de morte conjugis, ut alter conjux ad alia vota deſcendere valeat: cùm enim vivente conjuge matrimonium cum alio ſit nullum, ſimul etiam cedat in grave præjudicium illius, dum eo vivente conjux alteri adhæret, illíque contra fidem datam commiſcetur, & omnes commixtiones, ſint mera adulteria; abſque dubio in cauſa tam ardua, tantíque periculi feſtinandum non eſt, ſed circumſpectè procedendum cum acurrato examine

mine, antequàm conjux, asserens mortẽ sui conjugis, de qua aliunde non constat, ad aliud conjugium admittatur. *Accedit*, quòd mors conjugis sit res facti, & quidem, an eo tempore, quô dicitur, contigerit, merè contingentis, quale factum naturâ suâ incertum est *L. in omnibus. ff. de Juris, & facti ignor.* & non præsumitur nisi probetur. *L. in bello. ff. de captivis, & postlim. revers.* præsertim, dum ex falsitate illius magnum periculum tertij, & salutis animarum sequi potest.

Qua ratione nequaquàm audienda est *L. Uxores. de Divort.* quæ absentiam quinqueñalem viri sufficere, ait, mulieri, alteri alicui nubere volenti: sola etenim absentia tot annorum nec dissolvit matrimonium uxoris cum viro absente, nec, aliqualiter etiam, probat mortem illius, ùt de se liquet. Quocirca Lex illa correcta est per *Authent. Hodie. de Repud:* reprobantem secundas Nuptias absque certa notitia alterutrius conjugis. Quàmvis autem ea *Authent.* in hac parte verum habeat, superfluit tamen in eo, quòd ultra certam notitiam de morte conjugis desideret moram aliquam, ut videlicet superstes per annum adhuc patientiam habeat, antequàm de novo contrahat: *eum* enim, *qui certus est, certiorari ulteriùs*

non

non oportet. Regula 31. *I. in 6.* Quocirca non attentîs hîs *LL.* videndum, quid Jus Eccleſiaſticum in propoſito requirat.

256. Celebris eſt textus *c. in præſentia* 19. *de ſponſ. & matr.* in quo refertur, Clementem III. interrogatum, quid agendum *ſit de mulieribus, quæ viros ſuos, cauſâ captivitatis, vel peregrinationis abſentes, ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint, nec certificari poſſunt de vita, vel de morte ipſorum, licèt ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem;* ſequentibûs reſpondiſſe: *quantôcunque annorum numerô ita remanent, viventibûs viris ſuis non poſſunt ad aliorum conſortium Canonicè convolare, nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium* (NB.) *recipiant de morte virorum.* Idem ſtatuit, aut potiùs declarat Lucius III. *c. Dominus. de ſecundis nupt.* Ex quo duo ſequuntur.

257. *Unum* eſt, quòd moralis certi, tudo ſufficiat: cùm enim in factis, & actionibus humanis certitudo moralis ſatis eſt, & Tribunalia metaphyſicam non exigant, quæ ſæpè, & ùt plurimùm impoſſibilis eſt: per certum nuntium in *cit. c.* major certitudo, quàm moralis non deſideratur.

Alterum, quòd hæc certitudo ſit etiam neceſſaria, ita ut ſtante mera probabili-

bilitate de obitu cõjugis nequeat superſtiti aliud conjugiũ concedi. Pluribús congeſtâs Sanchez *l.* 2. *de matr. diſp.* 46. *n.* 6. Sporer *de matr. n.* 51. Pirching *l* 4. *tit.* 1. *n.* 132. Reiffenſt. *ibid. tit.* 21. *n.* 7. & conſtans Conſiſtoriorum Epiſcopalium praxis, de qua etiam idem Pirhing teſtatur *l. c.* Ratio eſt manifeſta: præterquàm enim, quòd intercurrat periculum graviſſimi peccati adulterij, ſi conjux certa de morte ſui conjugis nondum reddita, alij nubat, & conjugaliter convivat, ſéque difficillimæ cauſæ exponat, ſi conjugem priorem redire aliquando contingeret: prius matrimonium ſemel validè celebratum, eſt in poſſeſſione; cùm igitur ad lædendam poſſeſſionem non ſufficiat præciſa probabilitas, ùt *DD. communiter* advertunt etiam in rebus pecuniarijs: à fortiori non ſufficit in propoſito, ubi agitur de cauſa notabiliter periculoſiore.

258. *Nec obſtat* textus *c quoniam* 6. *ut lite non conteſt.* in quo ita legitur: *ſi autem de conjugio carnali ſit agendum, tamdiù alteruter conjugum expectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter* (NB.) *præſumatur*; non verò certitudinaliter. Benè *ſiquidem*, ex Abbat. Layman advertit Pirhing *ad dictum tit. n.* 21. ex *tit. c.* ſolummodò ſequi, quòd etiam non citato abſente con-

juge, possit Judex recipere testes ad probandum impedimentum, quod inter eos adesse asseritur, dum verisimiliter obitus absentis conjugis præsumitur: si autem non ita præsumitur, dicti testes recipi nequeunt, nisi præcedat contestatio litis per citationem conjugis absentis. *Cæterùm* etiamsi probabilis tantùm præsumptio habeatur de morte absentis, sed testes recepti, ac examinati non satis probent impedimentum assertum, nequit conjux admitti ad aliud conjugium (de hoc enim nec mentio *in cit. c.*) sed ulteriùs moralem certitudinem, aliquô modô *ex dicendis* comparandam, præstolari debet. Si verò testes legitimè deduxerint impedimentum quæstionatum, utique poterit facultas novi conjugij concedi, non quidem propter sufficientem certitudinem de morte conjugis absentis, sed propter probatum impedimentum, ex quo prius matrimonium fuit nullum. Et in hoc *cit. cap.* concordat alteri *c. Relatū est. 1. Qui matrim. accus. possunt*, in quo Papa respondet, quòd conjuge, qui per quinquennium abest, nec inveniri potuit, non comparante, possint testes recipi ad probandum impedimentum cognationis spiritualis, quod inter conjugem illum, & ejus uxorem intercedere objiciebatur,

&

& fine Canonico judicium terminari: non obstante, quòd præcisa quiquennalis emansio conjugis nec verisimiliter obitū illius constare faciat.

259. *Quomodo* ergo, & quibus modis cōparatur moralis, & quasi indubitata certitudo de morte conjugis? *Respondeo*, Canonistas, & Theologos id ultimatim remittere ad arbitrium Judicis Ecclesiastici, qui attentis circumstantijs causæ, & facti occurrentis pronuntiabit de certitudine, aliter probato obitu conjugis: *etenim circumspectus Judex, & discretus motum animi sui* (seu judicium) *ex argumentis, & testimonijs, quæ rei aptiora esse comperit, confirmabit*, & declarabit c. *præterea*. 27. *de testib. & attestat.* Nihilominus consultum videtur aliquos modos hujuscemodi probationis adducere.

260. Sic *certum* videtur, mortem conjugis plenè probari per Instrumentū publicum, vel authenticum, ab Episcopo, vel ejus Officiali, à Principe, Magistratu sive politico, sive militari datum: aut à Notario publico, vel aliâ personâ in dignitate constitutâ, cui ex consuetudine loci, vel ex instituto illius fides habetur, formatum: per ea quæ traduntur *ad tit. de fide Instrum.* Item per testimonium, ex libro mortuorum desumptum. Item per

duos teſtes de viſu, cùm *in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum*, ùt ait Salvator *Luc.* 17. dum de Jure non requiruntur plures teſtes: *ubi* enim *numerus teſtium non adjicitur* (ſeu plures expreſſè â Jure non deſiderantur, ùt v. g. in teſtamento ſolemni) *etiam duo ſufficiunt. L. ubi numerus ff. de teſtibus.* Porrò quàm vis uxor ipſa non admittatur in teſtem de morte ſui conjugis, ſed ſit in hac propria cauſa minus idonea; Reiffenſt. *loc. cit. n.* 13. ex Gobat. admittuntur tamen conſanguinei, tamquàm magis callentes mortem, vel vitam ſuorum: nec eſt præſumptio, quòd in adeo magnum damnũ ſui conſanguinei teſtari velient de morte illius, ſi eam neſcirent. Dicuntur autem de viſu non tantùm, qui morientem maritum, de quo quæritur, viderunt, vel funeri ejus intererant: ſed etiam, qui Exequijs diei ſeptimæ, vel trigeſimæ adſtiterunt: hôc ipſô enim, quòd non celebrentur, niſi de mortuis, qui de illis teſtatur, teſtatur de morte.

261. E contra *certum* videtur, non ſufficere teſtimonium unius etiam de viſu, *regulariter loquendo.* Mandat namque Papa: *quatenùs ſi inter vos quæſtio emerſerit, non minùs, quàm duorum, vel trium virorum ---- teſtimonium admittatis. c. licèt*

cèt universis. 23. *de testib.* & infrà: *nullæ est causa, quæ unius testimoniô (quantùmvis legitimô) terminetur*: ídque in causis gravioribus, maximè ubi agitur de magno præjudicio, ùt in proposito, esse Juris Divini per *cit.* textum ex *Luc.* 17. censent Juristæ ad *dictum tit.* quibus etiam familiare est illud: *vox unius vox nullius.*

Nec contradicit *c. In præsentia* suprà *N.* 256. *cit.* ubi mulieres prohibentur â secundo conjugio, non donec *certos nuntios*, sed tantùm, *donec certum nuntium accipiant* de morte virorum. *Etenim* ly *certum* non denotat nuntium *determinatum*, seu *singularem*, sed certitudinem afferentem nuntium, qualis utique non est, qui unicus est, & solus: Unde etiam cómuni usu, qui â pluribus certitudinaliter de quapiam re informatur, dicere solet, se certum nuntium de ea accepisse.

Similiter *certum* videtur, solam famam de morte non facere plenam fidem, *ordinariè loquendo*; quia enim *dictũ unius facilè sequitur multitudo. c. cùm in juventute.* 12. *de Purgatione Canon*: & quotidiana experientia docet: fama valdè fallax est, & ad faciendam certitudinem moralem minùs apta.

262. Semper addidi: *regulariter*, aut *ordinariè loquendo.* Cùm enim duæ semi-

plenæ probationes, quando (NB.) ad eundē finem tendunt, & non sunt disparatæ, seu diversa respicientes, plenam probationem faciant secundum illud: *quæ non prosunt singula, multa juvant. c. per tuas 32. de Simonia.* Et *in L. 2. §. ætas. ff. de Excusat. Tutor.* allegatisque pluribus Juribus, & DD. amplius tradit Reift. ad *Tit. de Probat. n. 99. & seqq.* Hinc idem post Sanchez, Pirhing, Sporer *ll. cc.* licèt universaliter non concedat, unum testem, aut solam famam sufficere in proposito per Jura, & rationes *N. priore* adductas: non veretur tamen admittere unum testem de visu, cum fama simul concurrente, aut testimonium illius alijs præsumptionibus, & conjecturis mortis vestitum. En exempla!

Si conjux abijt, & senex est: vel si mare prolixo itinere navigavit: vel militiæ adscriptus ad bellum ivit, in quo varij conflictus successerant: expectatur longissimo tempore, quæritur per litteras, & interrogationes plurium, sed gratis: comparet autem unus testis, qui refert, se illum in tali Patria obire vidisse: navim, in qua erat, se vidente submersā: illum in conflictu perijsse. Sufficienter probata est mors illius per hunc testem, unà cum indicijs, quæ desumuntur ex

senec

senectute, vel navigatione maris de se periculosa, vel conflictu, junctâ longi temporis, seu aliquorum annorum absentiâ, qua durante nihil de se significaverat. Ob eandem etiam rationem, si quis affirmet mortem conjugis, qui â Turcis captus tempore belli, pace etiam facta, post quam captivi redimuntur, non comparet, nec quidquam, cùm tamen posset, de se nuntiat, an adhuc in captivitate detineatur, aut ubi moretur.

Item si duo testes asserunt, se v. g. in Belgio â pluribus fide dignis audijsse, conjugem ex infirmitate, vel in duello obijsse: Aut quòd milites multi affirment, illum in conflictu, excursione, obsidione, vitam finiviſse: maximè si locum, & tempus mortis specificent &c. fama enim, â testibus probata, & præsumptionibûs illîs adjuta, plurimùm valere videtur, dum aliàs nescitur aliquibûs annîs, ubi conjux degat. *Similiter* si longissimo tempore absit, & in loco remoto, in quo ille mortuus dicitur, maximè quia miles factus ad aciem processit, nec unquàm scripsit, nec ab aliquo visus fuit: nam in tali casu fama, & publica vox una cum præsumptione, ex profectione ad militiam, longi temporis emansione, & nullâ datâ interim notitiâ, mortem satis probare videtur.

263. Immò Sanchez *loc. cit. n.* 12. docet, in casu, quô conjux obiisse dicitur in loco valdè remoto, nec faciles sunt, aut planè impossibiles aliæ probationes, sufficere unum tantùm testem, saltem juratum, & similis conditionis, quæ omnem levitatis, aut falsitatis suspicionem tollit: maximè si verisimilia de morte, seu modô, & causâ mortis proponat, de quibus utique diligenter, & solicitè interrogandus est, & quidem, ùt videtur, repetitis vicibûs, & quæstionibûs inverso quâdoque ordine formatis, ut magis appareat, an sibi constet, & vera, non conficta proponat. *Verùm* huic sententiæ contradicit Pirching *cit. n* 134. nec P. Reiffenst. consentit: utique, quia causa est valdè ardua, adest periculum præjudicij conjugis, si viveret, injuria prioris matrimonij, & nullitas novi cum frustratione Sacramenti, quæ omnia notabilem reflexionem merentur.

Cæterùm opinio Sanchez, pro qua vide alios citatos à Sporer *de matrim. n.* 51. juvari potest eâ doctrinâ, quam ipse P Reiffenst. *l.* 2. *tit.* 20. *n.* 267. tradit ex Farinacio, videlicet in ijs causis, quæ majores probationes non habent, aut non sine magna difficultate, sufficere unum testē, idémque dicendum esse de causis antiquis,

quis, & ad eas sufficere famam, & semiplenam probationem sentiunt Decianus, Tuschus *cit.* apud Eundem. Et favere videtur textus Juris ex *c. si testes. 3. iv. q. 3. § 38.* qui pro instructione Judicis dicit: *Unius testimonium nemo Judicum in quacunque* (NB.) *facilè patiatur admitti*: si facilè tantùm admitti non debet, aliquando, & in casu difficili permittitur.

Quidquid sit, in casu emergente suaderem Parocho recursum ad Ordinarium, cujus est in similibus dubijs pro sua prudentia, & circumspectione judicium ferre, ùt *Omnes* advertunt, & colligitur ex dictis *N.* 259. Imò quantùmvis mors conjugis concludenter, & certis testimonijs, ac de jure requisitis probaretur, tutiùs est secundum Pirching *cit. n.* 136. judicium Ordinarij expetere: cùm enim improba venus, longæ absentiæ conjugis impatiens, aliud matrimonium urgeat, variæ fallaciæ ad persuadendam mortem legitimi conjugis excogitari non rarò solent, testes quoque subornari (ùt ex Gobat, casus aliquos recensente, advertit P. Elbel *de matr. n.* 218.) securius erit altius judicium requirere ab Ordinario, qui pariter cum omni cautela procedere debet, ne quidquam ex necessarijs informationibus negligendo, se in re tanti momenti gra-

vissimô peccatô omissionis implicet, ob quod Clericatus *Discord. 43. inter Discord. forens. Civil.* timet, plures æternam damnationem incurrere. Sed meliora sperare congruit.

Reliqua, quæ adhuc desunt, supplere potes ex §. *seq.* in resolutione casûs.

§. IV.

Resolvitur casus de impedimento Ligaminis.

SErgia, postquàm ex voluntate parentum, licèt animô aliqualiter renitente, nupsisset cuidam multùm annoso, illius ob senectutem, aliásque indispositiones subinde pertæsa, Græciô Venetias secuta est Titium, quem deperibat. Post aliquod annorum cursum moritur ibi Titius, & Sergia, ut à paternis laribus, quos meritò timebat, remotior, lateret secura, navi conscensa Neapolim proficiscitur. Reperit ibi Mercatorem Græcensem, à quo, per tertium interrogatô, audit maritum suum, dum ille ante annum Græciô moverat, gravi infirmitate oppressum jacuisse. Unde huic testimonio innixa concludit, illum indubiè obijsse, attentô præsertim gravi senio, & complexione corporis, ex continuis indispositionibus debilitatâ, quæ obitum illius post fluxum tot annorum aliunde verisimilem reddidêre. Declusô igitur Parochô, solen-

solenniter nubit Janitio, à quo se impregnatam senserat. Quid ageret Confessarius, dum Sergiam eum accedere contingeret, & hanc facti speciem recensere?

264. *Respondeo*; Confessarium non posse quidquam sententiare de valore, aut nullitate hujus conjugij: probationes enim, concludentes etiam, de morte prioris mariti efficiunt quidem usum matrimonij licitum, & secundò nubentem extra culpam constituunt: attamen valorem non addunt matrimonio, qui eo tantùm casu habetur, quô prior maritus revera mortuus est; unde quidquid judicetur, aut probetur, donec maritus vivit, matrimonium ex impedimento Ligaminis nullum est materialiter, seu â parte rei *excomuni*, & recepta sententia in materia impedimentorum. Sed

Quantùm ad Janitium certũ est, quòd si ille bona fide duxerit Sergiam, nihil sciens de priori illius statu, quam cœlibem, aut liberam crediderat, non peccavit, potéstque, veluti conjugij, & corporis Sergiæ possessor bonæ fidei, eô uti cùm reddendo, tum petendo debitum conjugale sine timore adulterij. *Si virgo nesciens viro nupserit alieno* (idem est, si vir fœminã duxerit alienam) *hoc si semper nesciat, nunquàm ex hoc erit adultera*, ait, & exempli-

fi

ficat paritate poſſeſſoris bonæ fidei D. Aug. *de fide, & operib. c. 7.* relatus *c. ſi Virgo 5. xxxiv. q. 2.*

Quantum autem ad Sergiam, videat Confeſſarius, utrùm & illa bona fide proceſſerit, quod exinde colliget, ſi videlicet non tantùm narraverit totum factum, ùt in caſu: ſed inſuper aſſeruerit, ſe haud multùm dubitâſſe de morte mariti, quin potiùs eam ſibi perſuaſam habuiſſe, audita gravi infirmitate, quâ ante annum opprimebatur: veriſimile enim eſt, quem jam ſex annos (eo nimirum tempore, quò Titium Venetias ſecuta fuit) ætate gravatum, & continua ægra valetudine enervatum reliquerat, inſufficientem fuiſſe, ad vitam tot annis protrahendam, accedente præſertim graviori morbo, de quo teſtabatur Mercator Græcenſis, cui utique fides deneganda non eſt, cùm nullo Intereſſe ductus, id teſtimonium dederit. Si hanc, inquam, bonam fidem adverterit Confeſſarius in Sergia, in qua etiamnum perſeverat, taceat, & diſſimulet, ac diſſimulando eam in ulteriori bona fide relinquat: tùm per ea, quæ univerſaliter in caſu ignorantiæ impedimenti dixi *N.* 158. Tùm quia licèt præſumptiones allatæ mortem certitudinaliter non probent, & in Judicio deductæ vix agnoſcerentur ſufficiunt

ficientes: cùm tamen probati quidam *DD.* pro foro interno tantam certitudinem mortis non postulent, quantam per Jura *suprà* allata pro foro fori, sed acquiescant probabilitati, & verisimilitudini: Navar. *Silvester*, Tanerr. &c. *citt.* à Sporer *de matrim. n.* 51. Ideo credo cũ eodem, post factum, seu initum aliud matrimonium tutè dissimulari posse.

Suffragatur *item c. cùm per bellicam.* 1. *xxxiv. q.* 1. in quo illæ fœminæ, quæ per gravissimos hostilitatis incursus abductîs in captivitatem virîs remanserunt destitutæ, & cùm eos interemptos putârint, ad aliorum conjugium transiêrunt, â Leone Papa nequaquàm reprehẽduntur tanquàm adulteræ, sed potiùs excusantur, dummodò reddita pace, & statu rerum in meliùs mutatô, ex præcepto Domini relictîs secundîs virîs, priores, qui rediêrunt, reaccipiant: quàmquàm fœminæ illæ nullam moralem certitudinem de morte maritorum habuisse videantur, sed probabilem tantùm præsumptionem.

265. Si verò advertat Confessarius, Sergiã revera dubitâsse de morte sui mariti, quô dubiô non obstante nupsit Janitio (id autem colliget ex eo, quòd Sergia fateatur remorsum conscientiæ, quem & ante, & post nuptias hucusque sentit) con-

concludet graviſſimum ejus peccatum, quòd ſecundò nupſerit cum aperto periculo nullitatis matrimonij, fruſtrationis Sacramenti, & injuriæ ſui prioris mariti &c. quocirca prohibebit, ne tamquàm poſſeſſor malæ fidei, unquàm petat debitum conjugale, ſed reddat ſolùm Janitio petenti, textu claro *c. Dominus. 2. de ſecundis nupt.* ubi Lucius III. declaravit: *ſi verò aliquis, vel aliqua id hactenus non ſervavit* (id eſt, non expectavit, *donec ei conſtat, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* ùt ibi præmittitur) *& de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit* (bona fide) *debitum non deneget poſtulanti: quod â ſe tamen noverit nullatenus exigendum*: concordat *c. inquiſitioni. 44. de ſent. excomunic.* Qui enim bona fide contrahit matrimonium, ſuffragiô poſſeſſionis in illius uſu defenditur, in qua ex mero dubio, alteri conjugi ſuperveniente, turbari, aut impediri nequit: ſed neque alter conjux ob dubiũ, quô laborat, juri illius reſiſtere valet eô, quòd ſolum dubium unius non ſufficiat ad impugnandam poſſeſſionem alterius, ex bona fide formaliter legitimam.

Ex quo etiam *deducitur*, etiamſi factum Sergiæ fieret notorium, aut ad Judicium deduceretur, non poſſe Judicẽ ſen-

sententiam divortij ferre, & Sergiam à Janitio separare. Etenim quia Papa declarat, in casu ejusmodi dubij debitum conjugale reddendum esse conjugi, bona fide copulato, manifestè sequitur, conjugem alterum ab eo separari non debere, nec matrimonium irritari, donec certò non constiterit, priorem conjugem etiamnum vivere, ùt optimè notat, & ex Sanch. *l.* 2. *de matr. d.* 42. arguit Pirhing ad *tit. de secund. nuptijs n.* 3.

266. *Quid* ultrà faciet Confessarius? *Respondeo*: ex eo, quòd Sergia teneatur dubium, & malam fidem prudenter deponere, nec id aliter fieri possit, quàm investigatione veritatis: injunget ei, ut quantocyùs adlaboret inquirere de vita, vel morte sui prioris mariti, in quo optimè aget, si eandem adjuverit, scribendo videlicet Grœcium viris pijs, & fide dignis, vel etiam Magistratui, Parocho &c. nec arduum illi videbitur ad salvandam animam suæ pœnitentis, in tanto discrimine constitutæ, id oneris in se suscipere. Rogabit autem non solùm insinuationem authenticam mortis, sed diei etiam, quô illa contigit, & anni specificationem (propter mox dicenda) dissimulata ratione, & causâ factæ inquisitionis.

Et

Et quidem si notitia advenerit de morte mariti ante secundū Sergiæ conjugium, salva res est, & de firmitate illius minimè dubitandum, ex suppositō, quòd, ut videtur, Sergia in matrimoniū cū Janitio consenserit absolutè, & quantùm potuit ob dicta *N.* 224. Si verò mors secuta sit post secundum hoc conjugium, cujus tempore maritus adhuc vixerat: siquidem consensus Sergiæ, ad illud ex impedimento Ligaminis inhabilitatæ, nullus erat, & invalidus; instruet eam Confessarius de renovatione consensûs modô *N.* 212. traditô. Si autē constiterit certitudinaliter, maritum etiamnū vivere, nimis certum est, Sergiam nec ampliùs posse Janitio debitum reddere, sed quodcumque malum potiùs sustinere *arg. c. inquisitioni cit. de sent. excommun.* & iterum *c. Literas tuas* 13. *de restitut. spoliat.* ubi dicitur, mulierem, quæ certa est de impedimento, estò illud probare non possit, si per sententiam, etiam excommunicationis cogeretur ad conjugaliter marito suo convivendum, debere sufferendo eam sententiam, constanter omne thori consortium denegare: & oppositam sententiam (quam quidam aliquando defendebant) Sanchez *l.* 2. *de matr. disp* 39. *n.* 5. vocat. *falsissimam, & in fide valdè periculosam*

culosam, cùm sit intrinsecè malum, commiscri extra legitimum conjugium, nec ulla ratione, vel timore cujusque mali cohonestari, & excusari possit. Vide etiam Engel *in casu matrimon. perplexô adjectô ad tit. de secund. nupt.*

267. Immò non tantùm non audet reddere debitum, sed quantùm est de Jure communi, redire obligatur ad maritum: *quòd si post hoc* (post conjugium cum alio initum) *de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur. cit c. Dominus.* Dixi autem: *de Jure communi*: negari siquidem nequit, dari casum, in quo reditus reddatur moraliter impossibilis, prout in proposito de Sergia, quæ suppositô criminosô, & tam infami discessu cum Titio, vitáque meretriciâ, ac secundô conjugiô nimis præcipitanter contra fidem, & conscientiam celebratô (quæ omnia non tantùm infamem eam reddunt in loco, unde discessit, & noscitur, sed in discrimine etiam vitæ constituunt) nullatenus redire valet, ùt considerati patet.

Et quia Janitio etiam cohabitare prohibetur, nisi moraliter certa sit, se ab omni actu, conjugibus solummodò licitô, continere posse, nec ab illo cogendâ ad aliquem, aut inducendam, utpote cùm

crederet, se ùt maritum jus habere: difficillimus, & cuivis etiam doctissimo vix superabilis redditur casus. Remedium quidem obvium est, ut totum factum bellô modô â confessario ipso proponatur Janitio, si sit vir pius, conscientiosus, placidi animi, nec quidquam gravioris mali inde prævideatur: *At quid* si sit austerus, militaris, furiosus &c. quanta non tentabit, dum audiêrit, se tam enormiter circumventum, meretrici adulteræ locô conjugis legitimæ adhæsisse? Hoc opus, hìc labor! Quòd Sergia in eo Labyrintho constituta sit, sibi, suæque extremæ malitiæ adscribat, & piè resolutô animô, quidquid triste acciderit, in expiationem criminum patienter sufferat. Interim circumstantiæ quæque maturô judiciô discuti debent, Ordinarius etiam, aut alius qui opportunior videbitur, in auxilium advocari, & nihil non probandum, ut Sergia clam relictô Janitiô ad locum securitatis reponatur. Generica hæc sunt, sicut & alia, quæ Sanchez, & Engel *ll. cc.* suggerere conantur, sed particularia pro varietate circumstantiarum, implorato superno lumine, prudentia tua subministrabit.

Justi-

Juſtitia publicæ honeſtatis.

§. I.

Explicatur publicæ honeſtatis Juſtitia.

268. JUſtitia publicæ honeſtatis, quam Theologi ſimpliciter *publicam honeſtatem* dicunt, eſt *propinquitas quædam, conſtitutione Eccleſiaſtica ex ſponſalibus, & matrimoniô ratô proveniens.* Sicut enim ex conjunctione corporum, oritur propinquitas affinitatis: ita ex conjuctione animorum in ſponſalibus, & â fortiori in matrimonio rato reſultat quædam propinquitas juſtitiæ publicæ honeſtatis; quatenùs honeſtum, & juſtum eſt, eum, qui ſuum corpus alicui ad futurum uſum obligavit, illud non poſſe amplius illius conſanguineis obligare. Ob quam analogiam affinitatis cum publica honeſtate (in quantùm ſcilicet utraque eſt quædã propinquitas, & utraque oritur ex conjũctione, ſed una ex conjunctione corporum actuali, altera verò ex promiſſa tantùm per ſponſalia de futuro, vel præſenti) nõ ſolùm publica honeſtas â Scoto 4. *d.* 41. *q. un.* appellatur *affinitas extenſivè*;

ſed etiam ê contrà affinitas deſignatur publicæ honeſtatis nomine *c. diſcretionem 6. de eo, qui cognovit: Mulier propter publicam honeſtatem eſt monenda ſolicitè, ut nec primum* (maritum) *repetat, cujus conſanguineus eam, licèt invitâ cognovit.* Et tamẽ ex cognitione carnali provenit vera affinitas. Idem habetur *c. tuæ.* 10. *eôdem.*

269. Quia verò non apparet naturali rationi graviter diſſonum, eam ducere in uxorem, cum cujus conſanguinea celebrata priùs fuerant ſponſalia, aut etiam matrimonium ratum: nec exſtet aliquod Jus Divinum id prohibens, conſentiunt *Omnes*, hoc impedimentum eſſe meri Juris Eccleſiaſtici. Unde ſequitur, illud non concernere Infideles, qui poſſunt (niſi Lege Polytica, aut civili illis aliunde vetitum noſceretur) initîs ſponſalibûs cum una, matrimonium deinde contrahere cum conſanguinea illius, ſuſceptô etiam Baptiſmô, cùm ex ſponſalibus in infidelitate contractîs, nullum impedimentum ſit ortum. Maſtrius 4. *diſp. 7. n. 494. in fin.*

§. II.

Impedimentum publicæ honeſtatis ratione Sponſalium.

270. NOn tantùm Jus antiquum, ſed etiam

etiam novum Tridentini præ oculis haberi debet. In antiquo Decretorum, & Decretalium sæpissimè legitur impedimentum istud, ùt *c. siquis uxorem. 9. c. siquis desponsaverit. 10. xxvii. q. 2.* Item *c. sponsam. 8. c. ad audientiam. 4. de sponsal. & matr. c. Litteras. 4. c. accessit. 5. c. continebatur. 6. de desponsat. Impuber.* &c. quorum quædam vide per decursum, & pro nunc sufficit Oraculum Bonifacij VIII. *c. un. de sponsal. & matr. in 6.* relatum: *Ex sponsalibus puris, & certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis* (seu voti) *aut alia quavis ratione sint nulla, dummodò non sint nulla ex defectu consensûs, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum Justitiæ publicæ honestatis.*

Sed ad quotum usque gradum? *Respondit* Alexander III. *cit. c. sponsam 8. Sponsã alterius nullus consanguineorũ aliquâ modò sibi potest matrimoniô copulare,* propter publicam honestatem. Idem repetitur *c. cit. continebatur.* Cùm igitur consanguinitas continuetur per quatuor gradus in linea collaterali juxta dicta *N.* 109. & probabiliùs in infinitum in linea recta per dicta *N.* 118. impedimentum publicæ ho-

neſtatis ſe ad eos uſque gradus extendebat.

At Jure novo Trident. Concilij *Seſſ. 24. de reform. matr. c.* 3. reformatum, & reſtrictum fuit hoc impedimentum: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt ejuſmodi prohibitio ſine diſpendio obſervari.* Ex his ergo Juribus ſimul ſumptis, ſeu ex Jure antiquo, adhibita moderatione Tridentini, legitimè deducuntur ſequentia, quæ modò obſervari debent.

271. *I.* Stante quocunque impedimẽto matrimonij ſive dirimente, ſive impediente inter Cajam, & Titium, ſi ille cum ea contrahat ſponſalia, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis: hôc ipsô enim, quòd intercedat impedimentum, etiam merè impediens, matrimoniũ redditur illicitum: ſuppoſitô autem matrimoniô illicitô ſponſalia ſunt invalida, cùm promiſſio rei illicita ſit nulla: adeoque poteſt Titius deinde ducere ſororem Cajæ.

Sed éſtne neceſſarium, ut publicè conſtet, ſponſalia eſſe nulla, quod fit, dum impe-

impedimentum est notorium? *Respondeo*: sufficere, quòd sint nulla, quacunque tandem ratione, etiam occultâ. Mastrius *l.* 4. *disp.* 7. *n.* 489. Sporer *de matr. n.* 55. Pichler 4 *tit.* 1. *n.* 44. Elbel *de matr. n.* 221. & *communior* DD. quos illi citant. Ratio est: quia si Titius init cum Caja sponsalia, etiam ex defectu occulto invalida (dum e. g. fictè tantùm consentit, aut impeditur à voto simplici castitatis, in secreto emissô) à parte rei non obligatur Cajæ ex justitia, proinde nec oritur publicæ honestatis impedimentum, quod in illa obligatione fundatur ex dictis *N.* 268. Deinde impedimenta non pendent ab existimatione hominum, sed à rei veritate: quocirca non incurrit impedimentũ publicæ honestatis cum sorore Cajæ, qui cum Caja contraxit sponsalia, à parte rei ob occultum defectũ nulla, licèt alij opinentur fuisse valida: sicut è contrà, qui clandestina contraxisset sponsalia cum Caja, ligatur hôc impedimentô, quàm vis ea alij ignorent. Currit itaque in proposito *Reg.* 54. *I. in* 6. *Non præstat impedimentũ, quod de Jure non sortitur effectum*, seu de Jure non est validum.

Advertunt tamen *citt.* hôc ipsô, quòd in foro externo lateat nullitas sponsalium, valida præsumantur, & ortum impedi-

pedimentum publicæ honeſtatis: hinc nunquam admittetur Titius ad nuptias, cum ſorore Cajæ celebrandas, niſi priùs aut petat diſpenſationem à præſumpto impedimento, aut doceat, ſponſalia cum Caja fuiſſe nulla. Si tamen in loco, ubi ſponſalia illa ignorantur, duceret ſororē Cajæ, de valore matrimonij nullatenus dubitarem: ceſſaret enim ſcandalum, & à parte rei nullum extat impedimentum. Per quæ patet ad fundamentum Sinchez *l. 7. de matr. diſp. 68. n. 14. & ſeqq.* oppoſitum ſuſtinentis, quod etiam perſuadere nititur Caram. *l. 3. Theol. fund. n. 3794. & ſeq.* contra illud univerſale principium, quòd impedimenta, tamquàm res odioſa ſint potiùs reſtringenda, dum aperta ratio aliud non jubet.

272. *II.* Quòd Titius poſt ſponſalia cum Caja celebrata, ſi alia contrahat cum ſorore illius, aut etiam matrimonium ratum, non propterea impediatur à ducenda Caja: quia enim ex ſponſalibus, cum Caja initîs, oritur impedimentum publicæ honeſtatis reſpectu ſororis Cajæ, tàm ſponſalia, quàm matrimonium cum ea contractum eſt invalidum: cùm itaque ex ſponſalibus invalidis non oriatur hoc impedimentum, tantùm abeſt, ut prohibeatur à ducenda Caja, ut potiùs obligetur

getur vi priorum ſponſalium ad illam ducendam: éſtque textus expreſſus *c. un. de ſponſal.* Aliud foret, ſi ſororem Cajæ poſtmodum cognoviſſet carnaliter: intercurreret enim impedimentum affinitatis, (de quo *infrà*) reſpectu Cajæ: & quia ratione ſponſalium laboraret impedimentô publicæ honeſtatis reſpectu ſororis cognitæ, nullam ex illis ducere poſſet: pro quo juvat legere *c. litteras. 4. de deſponſ. Impub.* in quo Alexander III. illum, qui, *cùm eſſet perfectæ ætatis, quandam puellam in cunabulis deſponſavit: procedente verò tempore matrem puellæ cognovit, & eam in uxorem accepit.* Si matrem puellæ, *antequàm ſeptimum annum complêſſet, in uxorem accepit*, jubet, permittendum eſſe in conjugio cum matre, addita ratione: *cùm deſponſationes hujuſmodi nullæ ſint, quæ in cunabulis fiunt*, ob defectum conſenſûs in puella infante. *Verùm ſi poſtquàm puella ſeptimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit in uxorem, cùm ſponſalia ex tunc placere conſueverint* (nam adeptô poſt ſeptennium uſu rationis, ſi puella non contradicit ſponſalibus, nec ab eis reſilit, ea approbare, & ratificare præſumitur) *inter eos ſententiam divortij non differas promulgare* (ob impedimentũ publicæ honeſtatis, ortum ex ſponſalibus ratifi-

tificatis) insuper etiam *nec filiam habere permittas* ratione affinitatis ex copula cum matre habitâ, provenientis.

273. *III.* Si Pater contrahat sponsalia pro filio consentiente in illâ, aut illa ratificante, resultat hoc impedimentum: secùs si filius nesciat, aut sciens non consentiat eô, quòd sine illius consensu sint invalida: prout clarè deciditur *cit. c. un. in* 6. *Ex sponsalibus, quæ parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus contrahunt, ipsi filij, si expressè consenserint, vel tacitè, ùt si præsentes fuerint, nec contradixerint* (præsumuntur enim in foro externo consentire, nisi ob timorem gravem non ausi fuerint contradicere) *obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis.* Idem est, ùt ultrà dicitur, si ignorantes postea ratificaverint: *aliàs ex sponsalibus contractis à parentibus pro filijs, nec ipsi filij obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit.*

274. *IV.* Sponsalia debent esse absoluta: cùm etenim conditionatè inita ante eventum conditionis non sint firma, & valida, non causant impedimentum publicæ honestatis ante secutam conditionem, sed tantùm post illam: hinc qui diceret Cajæ, *promitto tibi matrimonium, si pater tuus consenserit*, peccaret quidem contrahendo matrimonium cum sorore

ante

ante exploratū consensum Patris, quem expectare tenebatur: matrimonium tamen foret validum, textu claro sæpè *cit. c. un. Ille, qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de præsenti, cum secunda remanere debebit*, ob rationē: *cùm ex sponsalibus conditionatis ante conditionem extantem, sicuti consensum non habentibus* (absolutum, qui necessarius est ad actualem valorem sponsalium) *& incertis* (dum enim certus non est eventus conditionis, incerta quoque sunt sponsalia) *nulla publicæ honestatis justitia oriatur.* Quamquàm autem ex illis non oriatur hoc impedimentum, & propterea matrimonium cum consanguinea, aut sorore Cajæ sit validum: ex eo tamen, quòd tenebatur expectare conditionem (consensum *Patris*) ante illam non potuit cum sorore valida celebrare sponsalia: cùm ergo non nisi valida sponsalia causēt impedimentum publicæ honestatis, secuta postmodum conditione (consensu Patris) vi primorum sponsalium obligatur Cajæ, nec aliquô impedimentô prohibetur ab illa ducenda. Optimè Sanchez *l. c. disp.* 69. *n.* 13. & alij, qui addunt.

Huc-

Hucusque dicta esse vera de conditione de futuro contingente, ùt in exemplo posito: *si pater consenserit*, vel *dum Mater moriatur* &c. At si conditio est de præsenti, aut præterito, ut *si tuus pater mortuus jam est* &c. statim valent, vel non valent, suppositâ, & verificatâ, vel non verificata conditione: sicque existente conditione oritur impedimentum honestatis, & non subsistente non oritur. Quocirca ita contrahens sponsalia præstolari debet, donec resciat veritatem conditionis.

Sed quid, si notitiâ minimè expectatâ ducat interim Cajæ sororē? *Respond.* cum distinctione: si eveniat deinde, conditionem fuisse veram, patrem scilicet eo tempore, quò sub illa conditione promisit matrimonium Cajæ, mortuum jam fuisse, invalidè duxit sororem; si verò reperiat postmodum, patrem necdum esse mortuum, aut saltem non tempore contractorum sponsalium, sed postmodum, validum est conjugium cum sorore: quia scilicet morte patris, pro tunc nondum secutâ, sponsalia cum Caja erant invalida, & nullum respectu sororis inducere potuerunt impedimentum. Reliqua de conditionibus, utpote merè speculativa, vide apud *citt.*

275. *V.* Quamquàm olim hoc impedimentum protensum fuerit ad quartum usque gradum consanguineorum sponsæ per Jura suprà *N.* 270. posita, immò in linea recta in infinitum, de facto tamen non se extendit ex sponsalibus, nisi ad primum tantummodò gradum ex Trid. *ibidem cit.* Quapropter, qui sibi legitimè desponsat Cajam, habilis est ad contrahendum cum quacumque consanguinea illius excepta Matre, sorore, & filia Cajæ eô, quòd hæ tantùm sint illi in primo gradu sanguine junctæ: & quidem sive filia sit legitima, sive illegitima: nam utraque est in primo gradu, & Jura non distinguunt in proposito inter alterutram.

Dixi: *hoc impedimentum non se extendere, nisi ad primum gradum consanguinitatis;* etenim cùm nullus textus Juris, nec aliqua declaratio authentica quidquam statuat de affinibus, publica honestas, utpote res odiosa, absque dubio ad eos citra claram legem protrahi non debet. Unde post contracta sponsalia cum Caja potest Titius, ni aliud obstet, ducere Privignã illius &c. *Communissima.*

276. *VI.* Denique sequitur, hoc impedimentum esse perpetuum, dum semel ex validis sponsalibus inductum erat: hoc ipsô enim, quòd nullibi speciale quid circa

ca illud declaretur, ſemel exortum ſemper durat. Imò non tantùm non ſtatuitur oppoſitum, ſed hæc perpetuitas clarè declaratur *c. ſi quis* 9. *xxvii. q.* 2. ubi Gregorius Papa dicit: *ſi quis uxorem deſponſaverit, vel eam ſubarrhaverit, quamquàm poſtmodum præveniente die mortis ejus nequiverit eam ducere in uxorem: tamen nulli de conſanguinitate ejus* (jam autem nulli ex conſanguineis in primo ſolũ gradu propter dictam reſtrictionem Tridentini) *licet eam accipere in conjugio. Quod ſi inventum fuerit factum, ſeparetur omninò.* Nec in hoc apparet controverſia.

Benè verò, *an* diſſolutîs per mutuum conſenſum ſponſalibûs ſemel validîs, ceſſet publica honeſtas? Affirmant apud Reiffenſt. 4. *tit.* 6. *n.* 17. & Pichler *l. c. n.* 47. P. Engel ex Barboſa, & quidam alij, idémque practicâſſe aliquos Epiſcopos, & viros doctos teſtatur P. Sporer *de matr. n.* 57. fatetúrque, ſe in duobus caſibus non fuiſſe ſcrupuloſum pœnitentibus. Rationem dant, quòd ſponſalia, mutuo conſenſu diſſoluta, reddantur invalida, invalida verò quacumque de cauſa non cauſant publicam honeſtatem ex Trident. *Nec* obeſt, diſſolutîs per mortem ſponſalibûs, nihilominus manere hoc impedimentum. *Nam* non diſſolvuntur, niſi

per

per accidens, in quantùm mortuô unô ex sponsis perit subjectum sponsalium; at per mutuum consensum dissolvuntur per se, quia consensus mutuus, qui erat causa sponsalium, tollitur. Adfertur quoque quædam declaratio Cardinalium.

Verùm hæ rationes non probant id, quod controvertitur. Etenim nemo quærit, an ex sponsalibus, mutuo consensu rescissis, pullulet impedimentum, cùm certum sit, non pullulare eô, quod rescissa reddantur nulla, & invalida: sed tantùm, an illud, jam semel ex sponsalibus emanatum, permaneat etiam in casu, quô per mutui consensus rescissionem facta sunt invalida. *Nec* disparitas allata inter dissolutionem per mortem, & eam, quæ fit per simultaneum consensum, videtur quidquam conducere: sive enim per se, sive per accidens dissolvantur sponsalia, realiter, & verè dissoluta sunt, & à parte rei non ampliùs subsistunt: sícque vel in utroque, vel neutro casu remanet impedimentum semel contractum. *Deinde* non tantùm consensus, sed sponsi etiam sunt causa sponsalium, sponsi enim ea efficiunt per suum consensum: si igitur facta dissolutione per consensum mutuum evanescit impedimentum eô, quòd sponsalia per se, seu in sua causa dissolvantur; quia

quia in dissolutione per mortem unius sponsorum dissolvuntur in causa, & sic per se, utique cessabit quoque impedimẽtum, quod tamen illi admittere non audent.

277. Quapropter firmiter tenendum arbitror, spectata pura ratione, sicut per mortem unius ex sponsis non extinguitur hoc impedimentum: ita nec per dissolutionem, ob aliquod aliud impedimentũ intercurrens: sícque si Titius post sponsalia cum Caja fornicetur cum sorore illius, licèt cessent, & dissolvantur sponsalia (quia affinis Cajæ factus, nequit eam ampliùs ducere) non tamen cessat publica honestas, sed æquè, ùt prius, manet inhabilis ad contrahendũ cum sorore *arg. l. litteras suprà. N.* 272. videndi. Aut si Titius profiteatur solenniter, per quam professionem dissolvuntur sponsalia prioracum Caja, remanet tamen hoc impedimentum, ob quod Caja non audet nubere fratri Titij. Pariformiter idem dicendũ est in casu dissolutionis sponsalium per mutuum consensum: nam in omnibus his casibus eadem ratio urget, quòd nempe impedimentum fuerit semel causatum, causatum autem ad regulam aliorum impedimentorum perpetuò maneat. *Nec* obstat declaratio Cardinalium, ab *AA.* allegata

legata. *Vel enim* non est authentica, vel revocata per posteriorem, quam mox subjungam, ùt sentit P. Reiffenst. *cit.* Vel ùt ex Brancato ait Mastrius *l. c. n.* 401. & ex Pignat. Pichler pariter *cit. n.* 47. ea nihil aliud resolvit, quàm per mutuum consensum sponsalia omninò dissolvi, & reddi invalida, nec esse amplius obligatoria; quod quidem verum est, sed nihil ad propositum, ùt hucusque dicta consideranti patet.

Denique hanc sententiam omnino certam reddit clarissima declaratio Sac. Congregationis de die 6. Julij 1658. quã ex Fagnano, & Gobat in formalibus recitat P. Reiffenst. *ibid. n.* 17. & alij *R. R. communiter*, in casu Alphonsi Ruiza, qui post contracta sponsalia cum Isabella Rodriquez Pacen. Diœcesis, & ob gravẽ hujus infirmitatem mutuo consensu dissoluta, desiderabat ducere Mariam sororem germanam Isabellæ: sed devoluto casu ad Sac. Congregationem, resolutum fuit pro impedimento publicæ honestatis cum Maria, quam resolutionem non tantùm approbavit Alexander Papa VII. die 10. Julij ejusdem anni, sed prohibuit insuper, ne amplius in dubium revocetur. Unde meritò judicat Pichler sæpè *cit.* hanc declarationem fuisse ignoratam

â Barbosa, Engel &c. aliàs oppositam sententiam non defendissent, vel saltem retractâssent, ùt fecit Bonacina apud Mastrium *l. c.* qui etiam adducit Aversam, testantem de usu, & praxi hujus declarationis, ac de observantia Romanæ Curiæ in eo, quòd in tali casu dispensatio super publica honestate peti debeat: cui utique, utpote Romæ existenti, & in Decretis Congregationum valdè versato fides adhibenda est.

Consultum esse duxi, paulò ampliùs huic sententiæ immorari, eámque prolixius & â ratione deducere, & authoritate firmare, cùm sciam, etiamnum reperiri aliquos, qui multùm inclinant ad Oppositam, & de hujus veritate dubitare volunt.

§. III.

Impedimentum publicæ honestatis ratione matrimonij rati.

278. EXtat quidem in Decreto *xxvii. q.* 2. Canon. 10. ex Julio Papa desumptus, ex quo deduci posset, impedimentum publicæ honestatis etiam ex matrimonio rato provenire; sic enim sonat: *si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit, & sive præveniente die mortis, sive irruentibûs quibûsdam alijs causîs mini-*

minimè eam cognoverit : neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in uxorem ullo unquàm tempore Sed quia cum Glossa apud Sanch. *cit. d. 70. n. 1.* commodè intelligi potest de sponsa de futuro, non de præsenti: certum est, ex eo evidenter non deduci intentum ad propositum.

Quàmvis autem nec alius textus Juris in Decreto, aut 5. Decretal. libris reperiatur, qui de publica honestate, ex matrimonio rato consurgente, loqueretur, concors tamen *Omnium* sententia eam agnoscit, & continua praxis confirmat: si enim Jura, publicam honestatem ex sponsalibus de futuro statuentia, respexerunt ad indecentiam, quæ contingeret, dum aliquis uni per sponsalia conjunctus ex justitia, duceret ejus sororem; cùm ob majorem conjunctionem ex matrimonio rato major sit indecentia, â fortiori quoque ex illo impedimentum publicæ honestatis natum est sequi.

Accedit constitutio, & declaratio Pij Papæ V. *Ad Romanum spectat* de anno 1568. & refertur *in lib. 7 Decretal. tit. de matrim. & sponsal.* rogatus namque, *an Decretum Oecumenici Concilij Trid. sess 14. de reform. matrim. c. 3. quô cavetur, impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia*

valida non fuerint, prorsus tolli: ubi verò valida fuerint, non excedere primum gradũ, prout dictum fuit *N.* 270. *matrimonia etiam de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdum sponsalia* (de præsenti) *appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit?* hunc in modum repositum: *Nos - - - attendentes, quòd sponsaliorum appellatione, quâ dictum Concilium utitur, non nisi impropriè matrimonium, verbis de præsenti conceptis contractum, continetur* (nam nomen *sponsalia* derivatur â verbo *spondeo*, seu *promitto*; qui autem actu contrahit matrimonium, propriè illud non spondet, seu promittit) *quódque agitur de correctione Juris veteris, quo casu secundum proprietatem verborũ procedendum est* (cùm correctio Juris sit odiosa, & strictæ interpretationis) *præsertim cùm longè majorem rationem prohibitionis in matrimonio, per verba de præsenti contractô* (ratione majoris conjunctionis animorũ) *quàm in sponsalibus de futuro vigere â nemine dubitetur: Auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilij hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio, sic* (ùt præfertur) *contractô, sed in eo durare adhuc impedi-*

men-

mentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de Jure veteri ante prædictum Decretum Concilij introductum erat.

279. Ex qua Constitutione non tantùm extra omnem dubitationis aleam ponitur, publicam honestatem oriri etiam ex matrimonio rato, & quidem ob majorẽ rationem, quàm ex sponsalibus: sed etiam â Concilio Tridentino nullatenus reformatam, aut limitatam fuisse. Unde sicut olim ante Tridentinum publicæ honestatis impedimentum proveniebat etiam ab invalidis sponsalibus (dummodò non fuerint invalida defectu consensûs) per Jura *N.* 270. allata, & extendebatur ad omnes consanguineos usque ad quartum gradum in linea collaterali: ita defactò adhuc ortum ex matrimonio rato, quomodocunque invalidô (modò non defectu consensûs) ad quartum usque gradum vim dirimendi habet. Quapropter Titius, qui duxit Cajam, estò hæc ante consumationem matrimonij ex hac vita migraverit, nullam sibi ex consanguineis Cajæ desponsare potest: & idem est de Caja respectu consanguineorum Titij, si illum ante matrimonij consumationem obire contigeret.

280. In particulari igitur loquendo, legitimè sequitur, publicam honestatem

nequaquàm oriri ex matrimonio rato, quod nullum eſt ex ſequentibus impedimentis: videlicet ex errore perſonæ, ex ignorantia conditionis ſervilis, ex metu gravi injuſtè incuſſo, ex defectu pleni, & perfecti uſûs rationis, qui contingit in ebrijs, infantibus, & in ætate de Jure ad matrimonium requiſita necdum conſtitutis: hæc ſiquidem impedimenta irritant matrimonium ex defectu conſenſûs, ùt ſuîs locîs dictum eſt. Atque hoc verum eſt, etiamſi defectus conſenſûs ſit occultus, per probata priori *N.* 271. Dum verò contingit, matrimonium eſſe invalidum ex alio impedimento: e.g. cōſanguinitatis, ligaminis, voti &c. æquè efficax eſt ad cauſandam publicam honeſtatem, àc ſi validum eſſet.

281. Id ſolùm dubitant aliqui: utrùm matrimonium ſine præſentia Parochi, & teſtium contractum, ſícque ex impedimento clandeſtinitatis nullum, inducat publicam honeſtatem. Sanchez quidem *cit. d* 70. *n.* 13. negat ea ratione, quòd cùm præſentia illa ſit de forma matrimonij, illud ſine ea non habet formā, & conſenſum. *Verùm* quia conſenſus naturalis, & de ſe firmus negari nequit in eo, qui clandeſtinè contrahit, non video, quomodo defectus conſenſûs argui poſſit. Et ſi

Mona-

Monachus, votô Religionis adſtrictus, licèt ex *c. ſi Religioſus. de elect. in* 6. nec velle, nec nolle habeat, ineundo matrimonium (utique invalidum) contrahit publicam honeſtatem eô, quòd non careat conſenſu naturali, qui ſatis eſt, ne matrimonium dicatur nullum defectu conſensûs, ùt docet cum *communi* ſententia ipſe Sanchez tùm *diſp.* 68. *n.* 6. tùm *d.* 70. *n.* 7. Idem profectò dicendum eſt de clandeſtinè contrahente, qui ſimiliter conſenſum naturalem habet. *Nec juvat*, illum conſenſum naturalem eſſe â Jure defectu ſolennitatis, ſeu præſentiæ Parochi, & teſtium invalidatum, & reputari nullū. *Siquidem* illius etiam conſenſus, qui laborat impedimentô ligaminis, aut quocumque alio in Jure reputatur nullus, quo tamen non obſtante ſufficit ad inducendam publicam honeſtatem.

Quocirca cum *communi* aliorum arbitror, non excipi clandeſtinum matrimonium à publica honeſtate, illud ſequente. P. Sporer quidem *de matrim. n.* 62. non vereretur ſententiam Sanchez practicare in foro conſcientiæ pro caſu neceſſitatis, ſi v. g. Titius clandeſtinè contrahens cum Caja, vellet deinde in facie Eccleſiæ ducere aliquam ex ejus conſanguineis, nec tempus ſuppeteret ad differēdas nuptias,

& petendam dispensationem. Attamen tu vide, an non sit recurredū potiùs ad illud remedium, quod in simili necessitate suprà *NN.* 160. & 161. suggestum fuerat.

§. IV.

Resolvitur casus de impedimento publicæ honestatis.

Caja sub cura Monialium educata, amore Angelicæ puritatis, quæ illi aliquoties commendata erat, se, votô emissô, ad perpetuam, & perfectam adstrinxit castitatem. Sed Asceterium subinde egressa, & integritatem Virginalem crescentibus annis sibi nimis arduam, animæque periculosam experta, matrimonium Candido sub ea promissi conditione, si à Sancta Sede beneficium dispensationis super voto castitatis impetraverit. Facto recursu Romam, videns Candidus, meliores sibi offerri nuptias, accedit Cajam, rogat, & numeratâ tandem pecuniæ quantitate, die 15. Julij à jure illo passivo, quô Cajæ obligatus erat, absolvitur. Dissolutis hisce sponsalibus aderat Germanus frater Candidi, qui vices hujus supplere cupiens, postquàm gratiosum dispensationis Rescriptum de dato 14. ejusdem mensis tandem advenerat, Cajam in uxorem duxit. Quæritur, an validè?

282.

282. *Respondeo:* Jam dictum esse *N.* 274. sponsalia conditionata, utì Cajæ erant, non inducere impedimentum publicæ honestatis, nisi conditione purificata: unde si ante purificatam illam sponsalia dissolvantur aliquô modô, v. g. Berta promisit matrimonium Titio, dummodò Pater non sit contrarius &c. si ante explorationem consensûs paterni resiliant mutua voluntate à sponsalibus, seu promissione matrimonij, sibi invicem factâ, licèt deinde consensus patris sequeretur, nihil obstat, quin Berta possit ducere fratrem Titij. Ratio est: quia cum sponsalia non nisi absoluta causent impedimentum publicæ honestatis, ante explorationem consensus paterni illud causare non potuêre: sed neque post secutum consensum patris eô, quòd illa obligatio, quâ Berta, & Titius sibi invicem obligabantur, cessaverit ante consensum, sícque adveniens deinde consensus patris omninò impertinens erat; nec firmavit sponsalia, nec occasio, aut causa impedimenti esse potuit. Quibûs præmissîs, quæ ex dictis *priorib.* §§. sequuntur.

In eo tantùm quoad propositum casum manet difficultas: utrùm per Rescriptum dispensationis à voto de dato 14. Julij sit adimpleta conditio sponsaliû Ca-

jæ, & Candidi, vel non? si adimpleta est: nimis clarum est, Cajam non posse deinde nubere Germano Candidi: etenim adimpleta conditione sponsalia evadunt absoluta; cùm igitur ex absolutis exurgat publica honestas, propter eam inhabilis fit Caja ad matrimonium cum Candidi fratre. *Nec obstat*, sponsalia eorum die 15. Julij mutuo cõsensu dissoluta fuisse. *Nam* dissolutîs quomodocumque sponsalibus semel validîs, & absolutîs permanet impedimentum per dicta *NN.* 276. *&* 277. Si verò per illam dispensationem nondum sit adimpleta conditio: procul dubio poterit Caja nubere Germano Candidi, cùm ex sponsalibus conditionatis adimpleta etiam conditione non sequatur publica honestas, modò ante impletionem conditionis dissoluta erant, ùt paulò antè probatum.

283. *Estne* igitur per dictum Rescriptum adimpleta conditio? *Respond.* non esse adimpletam: vel enim apparet, inspiciendo tenorem Rescripti, Papam immediatè dispensâsse, ùt si dicat in illo: *dispensamus*, vel *relaxamus*, *ut voto non obstante* &c. vel ille non dispensat immediatè, sed prout regulariter fieri solet, illi duntaxat dispensationem committit, ad quem Rescriptum dirigit? si hoc posterius: certum

um est, antequàm executor Litterarum, eu Rescripti exequitur illud, & actu dispensat, Cajam necdum esse solutam à vinculo voti: sícque conditionem adhuc pendere. Si primum, id est, si Papa immediatè dispenset; similiter nondum est adimpleta conditio. Ratio est; quòd Litteræ Apostolicæ dispensationum, etiam *in forma gratiosa* concessæ, non habeant suum effectum, antequàm revideantur, & vi illarum dispensatio fiat ab executore *arg. Concil. Trid. sess. 22. de reform. c. 5.* & ex *communi* docet Reiffenst. *in Append. ad 4. Decret al. n.* 300. quantùm ad Litteras dispensationis super alijs impedimentis dirimentibus, adducens ex Corrado Declarationem Cardinalium. Cùm ergo Caja 15. Julij resiliérit à sponsalibus cum Candido, licèt dispensatio à voto fuerit emanata 14. die, & sic ante dissolutionẽ sponsalium, per eam tamen non evaserunt absoluta, hôc ipsô, quòd dispensatio ante 15. diem non fuerit executioni data. Ex quibus denique concluditur, Cajam validè nupsisse Germano Candidi ob carentiam publicæ honestatis.

Affi-

Affinitas.

§. I.

Explicatur Affinitas.

284. AFfinitas, Germanis Schwagerſchafft/ eſt vi nominis *finium unitas*, vel ùt interpretatur Scotus 4. *d.* 41. *q. un. acceſſio ad affines*; *conjunctus enim carnaliter alicui de conſanguinitate aliqua, accedit per hoc ad fines illius conſanguinitatis, & ideo habet vinculum talis acceſſûs ad omnes de illa conſanguinitate, quatenùs per copulam cum aliquo evadit propinquus conſanguineorum illius*: unde in re ab *Omnibus* deſcribitur, quòd ſit *vinculum, ſeu propinquitas, ex copula carnali ortum ducens*. Dicitur autem *Propinquitas*, non cognatio eô, quòd hæc proveniat ex unitate ſanguinis ab uno ſtipite, quæ unitas non reperitur in affinitate, quæ *ex dicendis* unitatem carnis tantùm pro fundamento habet. *Quòd frater, ſorórve uxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit, & neceſſitate vulgaris appellationis potiùs, quàm ullâ cauſâ cognationis*: ait Alexander III. *c. quod autem.* 5. *xxxv q.* 5.

285. Dicitur item: *ex copula carnali ortum ducens*. Affinitas ſiquidem provenit

nit ex unitate carnis: *consanguinitas, quæ in proprio viro observanda est, hæc nimirum in uxoris parentela de Lege nuptiarum custodienda est. Quia enim constat duos esse in carne una: communis illis utraque parentela censenda est. c.* 14. *q.* 3. *caus cit.* cùm autem unitas carnis fiat per copulam carnalem, *Gen.* 2. *& erunt duo in carne una: Quibus verbis innotuit non aliter virum, & mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreant*: dicit Benedictus Papa, relatus *c. Lex Divinæ* 18. *xxvii. q.* 2. manifestum est, affinitatem præexigere copulam carnalem, sive licitam, seu maritalem, sive illicitam, seu fornicariam: nam etiam ex hac resultat carnis unitas, *nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur* 1. *ad Corinth.* 6. jam autem, *si una caro fiunt* (fornicariè se cognoscentes) *quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri?* (id est, quomodo poterit Titius esse consanguineus Cajæ fornicantis cum Petro, & non esse affinis Petri?) *hoc minimè posse fieri credendum est. c. fraternitatis.* 1 *xxxv. q.* 10. ex Gregorio Papa.

Verùm quidem est *L. non facilè. ff. affines. ff. de gradib. affinit.* non admitti affinitatem ex copula extramatrimoniali: *sciendum est, neque cognationem, neque affini-*

nitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas conjungitur. Sed id verificatur quantum ad effectum civilem duntaxat, quatenus ex fornicario coitu nati, à successione hæreditatis arcentur, ac si nec consanguinei, nec affines essent, licèt à parte rei sint tales, ùt ex Amico, Coninck advertit Caramuel *l.* 3. *Theol. fund. n.* 2798. Cœterùm ex tali copula veram oriri affinitatem in ordine ad impediendum matrimonium, etiam Jus civile agnoscit. *L. Liberi.* 4. *Cod. de Nuptijs*, ubi statuitur, ne parentum concubinas filij accipiant in uxores, utique quia concubinarum affines facti sunt.

286. *Sed* qualis debet esse copula? *Respondeo*: completa & perfecta, quæ apta, & de se sufficiens est ad generationem. *Communissima* ex ratione, quòd affinitas fundetur in unitate carnis, quæ inducitur per comixtionem seminis mediante copula: cùm igitur ea sit ad generationē sufficiens, legitimè sequitur, copulam generationi aptam requiri ad affinitatem. Ex quo *infertur I.* non sufficere merè inchoatam sine ulla seminatione: nec eam, in qua sola fœmina semen decidit: nec eam, quâ spado, utrôque testiculô arens, congreditur cum fœmina: Nulla nim ex his copulis deservit generationi.

II.

II. Econtrà sufficere copulam perfectam, cum fœmina invita, amente, ebriâ habitâ, cùm similia fœminæ vitia regulariter non obstent commistioni seminum.

Acrior quibusdam videtur, & difficilior quæstio, utrùm ea sufficiat, in qua solus vir seminat, fœminâ nullum semen decidente? Sanchez *l.* 7. *de matr. d.* 64. *n.* 21. Reiffenst. *ad tit.* 14. *lib.* 4. *n* 43. *&* 45. cum alijs dicunt quidem, probabiliùs sufficere: sed Mastrius *l.* 4. *d.* 7. *n.* 477. ex Gobat, aliísque Sporer *de matrim. n.* 75. Pichler *lib.* 4. *tit.* 13. *n.* 2. & plures alij negant, quibus etiam adhæreo. Tùm quia affinitas ex dictis postulat unitatem carnis, quæ sine utriusque semine non datur teste D. Thoma apud Sanchez *l.* 2. *de matrim d.* 21. *n.* 11. ex Pichler *cit.* Tùm quia fœmininū quoque semen (quidquid opinetur Aristoteles) ex Galleno, Aviceña, alijsque Medicis necessarium est ad generationem, quam veritatem non tantùm ex principijs Medicæ demonstrat Paulus Zacchias Medico Legalis *l.* 7. *tit.* 3. *q.* 1. *à n.* 16. (citatus à Pichler, & ex Clericato *de Sacram. matrim. decis.* 31. ab Elbel *de matr. n.* 227.) sed insuper oppositum asserere, hæresim medicam esse dicit. *Nec* suffragatur experientia, quam P. Reiff. *l. c.* desumit ex confessione plurium fœminarum

narum, (quæ honestæ erant, & piæ) fatentium, se à viris cognitas, concepisse sine proprij seminis decisione. *Cùm* non videatur tam debile earum testimonium (cùm & multæ nec quidquã sciant de sui seminis decisione, ùt notavi nuper. *N.* 68.) Viris in naturalibus, & arte medica excellentibus præferendum. Præsertim cùm Nobiles Theologi doceãt, purissimã Virginem MARIAM etiam semen suum, seu sanguinem, quàmvis sine ulla deordinatione, pro formatione Corporis Christi submiſtrâsse, quod si negetur, quomodo intelligentur textus Scripturæ, qui dicunt, *Dominum nostrum JESUM Christum esse ex semine David secundum carnem*? ex quibus Ecclesia Ss. Virginem MARIAM DEI Genitricem appellat.

Urget item *cit. c. Lex Divinæ constitutionis*, in quo Benedictus Papa declarat: *sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commissionem*: ad affinitatem itaque necessaria est sanguinis commissio, sed quæ commixtio, dum unicum tantùm, id est, viri semen adest? Ad quod respiciens Caramuel *loc. cit. n.* 3802. ita discurrit: *Nec hìc inquiri debet, an mulieris semen sit ad generationem necessarium? an ipsa activè, an verò passivè concurrat? nam hoc impedimentum non à natu-*

natura rei, ſed à Lege Canonicæ provenit (ùt §. ſeq. dicam *) & ideo non eſt examinanda virtus ſeminis fœminini --- ſed verba Canonum ſunt perpendenda: cùm autem hæc ſeminum commixtionem poſtulent, dicendum eſt, ſine utriuſque ſeminatione intra vas non dari Theologicam affinitatem*, quæ ſecundum illum ea eſt, quæ dirimit matrimonium. *Accedit* denique ratio, ex malitia mollitiei deſumpta: molles ſiquidem dicuntur *Viri ſanguinum*, & graviſſimi peccati contra naturam arguuntur, quòd ſanguinem, ſeu ſemen generationi deſerviens, fine ſuo intrinſeco fruſtrari faciant: quæ ratio non currit in mollitie fœminæ per oppoſitam ſententiam, ùt patet, nec poterit ita graviter damnari, quod tamen nemo concedet.

Quocirca etiamſi in foro fori haud attendatur ad ſeminationem fœminæ per dicta *cit. N.* 68. in Tribunali tamen Pœnitentiæ nullum ſentirem ſcrupulum, aut difficultatem circa praxim hujus ſententiæ, dummodò fœmina pœnitens aſſerere poſſet, ſe ex congreſſu viri ad ſeminationem uſque irritatam non fuiſſe, ùt ſi fuerit frigidioris naturæ &c. *Nec* contrarium perſuadere poteſt Reiffenſt. *cit. n.* 45. *&* 46. attentâ quàm maximè odioſâ naturâ Impedimenti, quæ illud

negari jubet, clara Lege Canonis non obſtante.

287. *Ex his* benè deducitur, ex copula viri habita cum impubere fœmina nullã oriri affinitatem eô, quòd illa ad generationem inepta, incapax ſit perfectæ copulæ, niſi malitia, ſecundũ *infrà N.* 356. dicenda, ſuppleat ætatem, quòd tamen in dubio, tamquàm quid ſingulare, ſupponendum non eſt.

Nec obſtat *c. fraternitati tuæ. 7. de eo, qui cognovit* &c. in quo Innocentius III. reſcripſit Biſutinenſ. Archi-Epiſcopo: *Divortij ſententiam approbamus, quam in eum Canonicè promulgâſti, qui illam ſibi poſtea copulare præſumpſit, cujus antea ſororẽ adhuc ſeptenẽ contractis ſponſalibus extraordinaria libidine noſcitur polluiſſe*: ex quo videtur, copulâ etiam cum puella ſeptem annorum prohiberi matrimoniũ cum ſorore illius, utique propter affinitatem. *Reſpond. enim*, divortium illud factum fuiſſe ratione publicæ honeſtatis, quàm cauſârunt ſponſalia cum puella contracta, ùt cum *communi* explicant Sanchez, Reiffenſt. Pichler *ll. cc.* qui idem dicunt *ad c. Juvenis. 3. de ſponſalib.*

288. *Aſt dubitabis*, utrùm aliô modô, quàm per congreſſum viri ſemen virile vulvæ fœmineæ immiſſum, ſufficiat

ad affinitatem? Sanchez *utrôque loc. cit.* quem refert Sporer *cit. n.* 73. nihil concludens, affirmat cum *communi* ea ratione, quòd contingat vera commixtio seminum, generationi idonea, quam probat historia de semine â Juvene, qui se in balneo corruperat, relictô, & â puella, se libidinosè tangente, attractô, per quod etiam conceperat. Item alia de conjugata, quæ cum sorore in lecto libidinabatur, & semen â marito receptum in uterum sororis transfudit, eámque gravidam reddidit. *Verùm* quia hæ historiæ nimis mirabiles sunt, & Caramueli *n.* 3804. figmenta videntur, cum Diana, Ponzio, Basilio â se *citt.* rectiùs negat in tali casu affinitatem, quibus consentit Pichler *l. c.* quatenùs asserit, copulam affinitatem inducentem, & aptam ad generationem esse eam tantùm, in qua membrum virile penetrat vas muliebre, ac intra uterũ effudit verum semen. Ratio desumitur ex illo Gen. 2. *adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, quod *cit. c. Lex Divinæ*, ùt visum, ita interpretatur: *non aliter virum, & mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreant*: dum autem semen virile casu, vel arte aliquâ fœminæ infunditur, vir non dicitur propriè adhærere mulieri, nec illi copulari.

Accedit, ùt arguit Caramuel, ſemen ſpiritibûs vitalibûs conſtitui, & quodammodò vivificari, qui ita ſubtiles ſunt, ut ſtatim evaneſcant, dum ſemen aëris inclementiæ ſubjicitur, teſtantibûs id Medicis: quapropter ſi aliô modô, quàm per congreſſum viri immittatur in uterum, non niſi deſtitutum illîs ſpiritibûs, ac mortuum. ſicque ad generationem ineptum imittitur.

289. *Quid verò* dicendum de copula cum Dœmone practicatâ? *Reſpond.* in caſu Dœmonis ſuccubi certum eſſe, copulam generationi deſervire non poſſe: quomodò enim generabit Dœmon vice Matris, cùm organis, & virtute ad formãdum, & fovendum fœtum deſtituatur, corpus verò phantaſticum ſit ad id munus ineptum? filij Doctoris Fauſti, quos ex ſuccubo ſuſcepiſſe dicitur, ſi ejus hiſtoria admittatur, non niſi Dœmones fuêre, & homines apparentes. In caſu autem Dœmonis incubi quidam aliter ſentiunt: nam cùm Dœmon poſſit ſuffurari ſemen, ab hominibus improbis tactibûs ſceleratîs emiſſum, illúdque tempore congreſsûs in corpore aſſumpto cum fœmina in vulvam ejus infundere; videtur, ſacrilegam hanc copulam ſufficere generationi, quæ aliquando ſecuta quoque ab Abulenſe narratur

ratur in Merlino celebri in Anglia Vate; & secundum Plutarchum ex Aristotele *l.* 3. *Poëticæ* in Homera Poëta.

Quidquid sit de his Historijs, quæ ex ratione *N. priore* à natura seminis deductâ, omni fide evacuantur: placet judicium Caramuelis *cit. n.* 3806. quòd admissa etiam generatione ex hujuscemodi coitu, affinitas non oriretur cum Dœmone, cum quo ob carentiâ proprij seminis nulla unitas carnis resultaret: sed cum illo, cujus Dœmon semine usus fuit. Ea tamen affinitas foret merè naturalis, & philosophica ob dictam commixtionem seminũ, non autem Theologica, aut Canonica, quæ induceret impedimentum dirimens. Ratio est *priori itidem Num.* insinuata, quòd scilicet vir in tali casu non adhæret uxori per copulationem corporum, quæ adhæsio tantùm in cõmuni existimatione (quæ procul dubio in odiosa materia impedimentorum servari debet) intelligitur, nomine copulæ carnalis.

Tùm quia inutiliter Ecclesia statuisset impedimentum, ex copula cum Dœmone habitâ: cùm enim, ùt dixi, illud contraheretur cum eo, cujus semen erat, hôc ipsô, quòd ille nunquam sciatur, frustraneum foret impedimentum.

290. *Quæres* jam pro praxi, quâ viâ ingredietur Confessarius, ut agnoscat pœnitentem, quæ fatetur, se aliquando libidinosè tractatam â Titij fratre, esse Titio affinem, nec posse illi nubere? *Respondeo*, illum debere esse solicitum in varijs interrogationibus, quas quantùm possibile fuerit, honestioribûs terminîs formabit, præmonendo etiam suam pœnitentem, ne minùs convenientem opinionem concipiat, dum illum tam exactè in materia lubrica versatum experta fuerit. Interrogabit ergò *I.* An tactibûs tantùm libidinosè tractata fuerit, vel vasis etiam penetratione per membrum? *II.* Si hoc secundum: cujus ætatis fuerit illa, vel ille? an illa 12. ille verò 14. annos attingerit? antecedêter enim inepti præsumuntur ad generativam copulam. *III.* Si id affirmaverit: utrùm ille copulâ continuaverit usque ad intrò seminationem, an verò casu, vel sponte contractô membrô semen extra vas profuderit? *IV.* Si primum: an etiam illa ad decisionem usque seminis irritata fuerit? si candidè negare valuerit, carentiam affinitatis juxta longè probabiliorem sententiam *N.* 286. tutè pronuntiabit. Si verò respondere nescîerit (multæ enim ita rudes sunt, ut quid sit fœminam seminare, ignorent)

veritas

veritas ex circumstantijs indaganda erit. Unde ex mente Dicastili apud Sporer, & Elbel *citat. n.* 250. ex Gobat, ultrà interrogabit *V.* An in coitu, vel mox postea magnam voluptatem senserit: quia enim semen sine delectatione regulariter non effluit, indiciũ defluxionis non ineptè ex illa desumitur. *Si* denique *VI.* nec de delectatione ista testari poterit, impedimẽtum affinitatis concludet ex illa *R.* 45. *in* 6. (quæ *subsidiaria* dicitur, quatenùs in subsidium concludentium probationum assumi potest) *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: plerumque namque copulam, in nubili ætate à fœmina admissam, illius seminatio comitatur.

291. Copulâ ad intelligentiam affinitatis necessariò tàm prolixè explicatâ; *sciendum*, in affinitate quoque reperiri lineas, & gradus, sed non nisi à consanguinitate desumptos: quia enim *quoto gradu* (& in qua linea) *consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu* (& in eadem linea) *affinitatis distat ab eodem illa, quæ est ab isto carnaliter cognita*, ùt post Scotũ *cit. Omnes* sentiunt: gradus, & linea affinitatis à consanguinitatis gradu, & linea mensurari debet.

Hinc si cupias scire, quoto gradu

Petrus, qui cognovit Cajam, sit affinis Paulo, vide juxta methodum, & regulas aliquando de *consanguinitate* traditas, in quo gradu Paulus sit consanguineus Cajæ; in eodem namque est affinis Paulo. Similiter ut scias, quoto gradu Caja sit affinis Titio, attende juxta dictas regulas, in quo gradu Titius sit consanguineus Petro, qui cognovit Cajam, & conclude hanc in eodem esse affinem Titio. Etenim cùm Petrus, & Caja sint una caro effecti, seu unum quid, nequit aliquis cõsanguinitate attingere Petrum, nisi affinitate attingat Cajam, nec viciſſim consanguinitate aliquis attingere Cajam, quin affinitate attingat Petrum: *affinitate* dico, & quidem in eodem gradu; *persona siquidem addita personæ per carnis copulam, mutat genus* (consanguinitatis in affinitatem) *non gradum*, ait Gloſſa *in c. non debet. de consang.*

Inter ipſos autem consanguineos Petri ex una, & consanguineos Cajæ ex altera parte nulla cernitur affinitas textu claro *c. quòd super his. 5. eod. licèt omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines: inter consanguineos tamen viri, & uxoris, ex eorundem, scilicet viri, & uxoris conjugio nulla prorsus affinitas est contracta.* Vide dicenda *N.* 295.

292. Si denique desideras propria affinium nomina, suggerit aliqua Alexander III. *c.* 5. *xxxv. q.* 5. pro linea collaterali : *uxor fratris Fratrilla* (vulgò *Fratria* Bruders-Weib) *vocatur*: *mariti frater Levir* (Manns Bruder / Schwager) *dicitur . . . viri soror Glos* (Manns Schwester / oder Beschwey) *appellatur. Sororis autem vir non habet speciale nomen, sicut nec uxoris frater:* attamen sororis vir *Sororius* (Schwester Mann) & uxoris frater *Uxorius* (Weibs Bruder) dici consuevit, ùt videre est apud P. Pichler *4. tit.* 14. *n.* 21. in quo, & alijs vide reliqua affinium nomina, partim quoque §. *seq. N.* 296.

§. 11.

Impedimentum Affinitatis.

293. AFfinitatis vinculum sive occultum, sive publicum (cùm Jura non distinguant) irritare matrimonium, certum est *ex c. ex Litteris.* 1. *de consang.* ubi ille, qui duxit viduam relictã à marito demortuo, jubetur separari, dum constiterit, quòd in quarto gradu fuerit cõsanguineus mariti defuncti eò, quòd sit propterea affinis viduæ: *æquè enim, ùt Canones dicunt, abstinendum est à consanguineis uxoris, ùt proprijs*; quia videlicet *æquali-*

ter vir conjungitur consanguineis proprijs, & consanguineis uxoris suæ. c. 13. xxxv. q. 3. Quapropter: *si vir, & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est Nurus* (Sohns-Frau) *deputanda, quàm filia. c. 5. cauſ. & q. citt.* ex S. Aug. *lib. 22. contra Fauſtum*, quantùm addirimendum matrimonium, non quantùm ad vinculum naturale, quod abſque dubio & in ſe, & in exiſtimatione ſtrictius eſt in conſanguineis ex unitate ſanguinis, quàm in affinibus ex unitate carnis tantùm.

294. Porrò non tantùm tria olim erant genera affinitatis, ut videre eſt. *c. 3. c. 12. &c. cauſ. & q. ijdem*, & explicant *DD.* paſſim; ſed etiam annullabat matrimonium ad ſeptimum uſque gradum incluſivè *c. 7. ibid.* Verùm hodierno Jure *c. non debet 8. de conſang.* remanet ſolùm illud genus affinitatis, quod *N.* 291. explanatum eſt: nec dirimit matrimonium, niſi uſque ad quartum gradum: *Prohibitio copulæ conjugalis* (ſeu matrimonij) *quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non excedat. c. cit.* junctô *c. licèt ex quadam 47. de teſtib.* ibi: *cùm jam quartum gradum prohibitio non excedat.* Immò eam affinitatem, quæ ex copula illicita originatur, Concilium Trident. *ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 4.* ampliùs reſtrin-

strinxit, & intra secundum duntaxat gradum concluſit: *Sancta Synodus, graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribus verò gradibus ſtatuit, hujusmodi affinitatem matrimonium, poſtea contractum, non dirimere.* Ubi incidenter nota cum Sanchez *l. cit. d.* 65. *n.* 8. Sporer *cit. n.* 83. *in fin.* & multis aliis, ex hac Tridentini reſtrictione deduci, etiam inceſtū non ampliùs eſſe ultra ſecundū gradum. Unde qui poſt fornicationem cum Titia, fornicaretur deinde cum aliqua Titiæ in tertio gradu conſanguinea, non eſſet ullius inceſtûs reus, ſed ſimplicis fornicationis tantùm: cùm enim circumſtantia inceſtus proveniat ex prohibitione matrimonij aliquorum ratione affinitatis inter eos: hôc ipsô, quòd ea auferatur in gradibus ultra ſecundum, ceſſat in illis ratio inceſtûs. Idque evidens redditur ex eo, quòd olim, dum Jure antiquo affinitas dirimebat matrimonium uſque ad ſeptimum gradum, qui cognoviſſet conſanguineam ſuæ uxoris in ſeptimo gradu commiſiſſet inceſtum: jam autē reſtricta affinitate ad quarum tantùm gradum

ex

ex copula licita, cognoſcens conſanguineam ſuæ uxoris in quinto gradu, non incurrit reatum inceſtûs. Pariformiter igitur in propoſito. Videatur ampliùs Sánchez *eod. lib. d. 5. à n. 7.* Sed iterum ad priora redeundum.

295. Maritus igitur, mortua ſua uxore ad alia vota aſpirans, ſi aliquam ex conſanguineis defunctæ ducere velit, id attendet, ne ſit illius intra quartum gradum conſanguinea; in quinto enim gradu non impeditur ab illa ducenda. Si verò aliquis ſive cœlebs fornicando, ſive conjugatus adulterando copulâ perfectâ ſecundum dicta *NN.* 286. & 290. cognovit Bertam, & deinde intendit ducere quandam ex conſanguineis illius, caveat ſolummodò, ne ſit Bertæ in ſecundo gradu conſanguinea; cùm in ulterioribus ex remoderatione Tridentini nulla ampliùs affinitas detur.

Cœterùm hodie duo fratres, aut conſanguinei unius, poſſunt ducere duas ſorores, aut conſanguineas alterius, ùt expreſsè legitur *c. cit. quod ſuper his. de conſang.* ubi approbatur, *quod Pater, & filius cum matre, & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus, & Nepos cum duabus ſororibus contrahunt matrimonia.* Item ſi Caja nupſit Titio, & ex illo genuit

nuit Bertam, mortuô autem Titiô nubat Sempronio meo fratri, licitè, & validè ducere potero Bertam: quia per matrimonium cum Titio fratre meo ipsa tantùm Caja facta est mea affinis, non verò ejus filia Berta; nam ego sum consanguineus Titij, Berta autem consanguinea Cajæ, utpote filia: dictum est autem *N.* 294. inter consanguineos uxoris ex una, & consanguineos mariti ex altera parte nullam hodie oriri affinitatem. Idē est de illa filia, quam mea fratria (Bruders Weib/ Schwägerin) ex alio, quàm fratre conceperat: etenim illa est affinis meo fratri tantùm, & non mihi per illū, cùm *per vulgaria* affinitas non pariat aliam affinitatem, id est, affinis uni factus, vel facta non fiat affinis consanguineis illius. Et ita in alijs similibus judicandū est.

296. His indubitatè suppositis, controvertunt quidem *DD.* an aliquis saltem gradus affinitatis dirimat matrimonium ex Jure naturæ, quibûsdam volentibûs ad primum gradum eam irritationē extendere in linea recta, ut jure naturæ nullum sit matrimonium inter Vitricum, & privignam (Stieff-Vatter/ und Stieff-Tochter) inter Socerum, & Nurum (Schwächer/ oder Schwiger-Vatter/ und Sohns-Frau/ oder Schnur) inter Socrū,

&

& Generum (Schwiger / oder Schwiger-Mutter/ und Tochter-Mann/ oder Eydam) Immò quidam idem judicant de primo gradu lineæ transversæ. *Verùm* quia *N.* 111. docui, consanguinitatẽ lineæ transversæ in hoc gradu non irritare de jure naturæ: multò magis idem censeo de eo gradu affinitatis: cùm certum sit, minus vinculum causare affinitatem, quàm consanguinitatem. Et pro hac veritate suppetunt quoque testimonia Scripturæ, & exempla Ecclesiæ. Quàmvis *Levit.* 18. prohibeatur, tamquàm indecens, cognoscere carnaliter uxorem fratris: *turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia* (cùm sit unum quid cum fratre) *turpitudo fratris tui est.* Quia tamen tanta indecentia non est, quæ etiam naturaliter irritaret matrimonium cum illa, aut saltem pro omni casu illicitum redderet, illud non tantùm admittitur, sed quodammodò præcipitur *Deutor.* 25. *quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit; uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël.*

Ecclesia quoque non tantùm generaliter, ùt legitur ab Innocentio III. factum

tum *c. fin. de divort.* Livonienſibus, qui ad fidem Catholicam converſi erant, conceſſit propter infirmitatem eorum, *ut matrimonijs contractis cum relictis* (uxoribus) *fratrum utantur.* Sed in particulari non ſemel etiam diſpenſavit in hoc puncto teſtante hiſtoria. Notum eſt Julium II. diſpenſâſſe cum Catharina Hiſpana, ut nuberet Henrico VIII. Angliæ Regi, non obſtante, eam antecedenter conjugatam fuiſſe cum Arturo fratre illius, quam diſpenſationem legitimam fuiſſe, conſultis celeberrimis Univerſitatibus, accuratiſſimáque deliberatione præmiſsâ, legitimam declaravit Clemens VII. unde ortum ſumpſit infelix Schisma Anglicanæ Eccleſiæ. Recenti *item* memoria tenemus ſimilem diſpenſationem in Diſma Comite ab Aurſperg poſtea actuali Mareſchallo Carnioliæ, qui duas ſucceſſivè duxit ſorores ex Illuſtriſſima Domo de Bathiani. Quocirca, quòd Joannes Baptiſta Herodem, qui Herodiadem duxerat uxorem Philippi fratris ſui, redarguerit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Marc. 6.* vel ideo factum, quia frater Philippus etiamnum vivebat, ùt poſt D. Thomam in illum locum notant alij: vel quia Herodes, tanquàm Judæus ſubjiciebatur Legi Moſaicæ prohi-

hibentis, etiam mortui fratris uxorem ducere. *Levit.* 18. *cit.* nisi id fiat ex fine suscitandi semen defuncti fratris. Sanchez *l. c. disp.* 66. *n.* 12. Pirhing *l.* 4. *ad tit.* 14. *n.* 34. *in fine* &c.

297. *Sed* quantùm ad primum gradum lineæ rectæ certum videtur, magnã esse indecentiam, honestati naturali adversantem, carnaliter commiscerì matri, aut filiæ uxoris, vel etiam Novercæ &c. eò ipsò enim, quòd quis fiat una caro, seu unum quid cum sua uxore, censetur esse filius matris illius (& sic de reliquis) tenetúrque ei reverentiam, sicut vicissim mater uxoris dilectionem specialem marito illius; nam etiam Seneca *in quadam Epistola* fatetur, naturaliter â socero nurum, & â socru diligi generum, & §. *Socrum.* 7. *instit. de nupt.* vitricus, & Noverca parentum locò veniunt. Hinc Jacob *Gen.* 49. Lege Mosaica necdum datâ, maledixit Ruben primogenito suo, *Effusus es, sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculâsti stratum ejus*, dormiendo cum Noverca, seu uxore patris. Belluinum quoque, ùt notat Hermannus Hermes *in Fasciculo Juris publici c.* 11. *n.* 86. *ex alijs* erat responsum Francisci Brittani Angliæ Equitis aurati, qui ab Henrico VIII. Angliæ Rege ad-

admisso adulterio interrogatus, quale peccatum videretur, matrem primùm, deinde filiam ejus cognoscere? reposuit: tale, O Rex! quale Gallinam primùm, deinde ejus pullum comedere: quò audito Rex ipse, licèt alioquin sceleratus, exhorruit, & dixisse fertur: Næ tu meritò meus inferni Vicarius: talis siquidē incestus est *abominabilis DEO, & cunctis hominibus. c.* 10. *xxxv. q.* 3. cùm ipse DEus dicat, blasphœmari per illum nomen suum, dum reprobrat Israëli, quòd *& filius, ac pater ejus iverunt ad puellam* (se carnaliter eidem commiscentes) *ut violarent nomen sanctum meum.*

Nihilominùs cùm ducere aliquam in primo gradu lineæ rectæ affinitatis non repugnet essentialibus, & fini intrinseco conjugij, non apparet, illud esse jure naturæ irritum. Et si non adeo certum est per dicta *N.* 116. jure naturæ infirmari conjugium in primo gradu lineæ rectæ consanguinitatis, à fortiori negari potest de eodem gradu affinitatis, quæ ex *N.* 239. non tàm forte vinculum, & subordinationem inducit, quàm consanguinitas, & ridiculum videtur Philoni, putare, soceri tantam authoritatem esse in generum, quantam patris in germanum filium.

298. *Nec* ſuffragatur in contrarium illud D. Pauli 1. *ad Corinth.* 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem Patris ſui aliquis habeat. Vel* quia ſermo eſt de uxore patris adhuc viventis, ùt poſt Cajet. Sedulium, & alios intelligit Sanchez *d. cit. n.* 9. vel quia ingens ſcelus erat, quod & deſignare funeſtum eſt, ùt de omni inceſtu dicitur *c.* 10. *cit. nec* â Gentibus communiter practicatum. *Nec* ſuffragatur *II.* quòd nunquàm auditum, Papam in tali matrimonio diſpenſâſſe, cùm tamen poſſet, ſi tale matrimonium voluntate Eccleſiæ tantùm nullum foret. *Non enim* omnia expediunt, quæ licent; nec ex eo, quòd aliquid factum non ſit, legitimè deducitur, fieri non poſſe, præſertim, dum graviſſimæ rationes urgent, ne fiat, ùt naturalis turpitudo, & indecentia, ob quam ex dictis copula cum Noverca æquiparatur copulæ cum matre, & utraque ſimul, & eodem contextu prohibetur *Levit* 18. *cit. turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus;* ad quod mox ſequitur: *Turpitudinem uxoris patris tui* (ſeu Novercæ) *non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt.* Quàmquam autem ob hanc indecentiam poſita ſit tam ſeve-

ra

ra prohibitio, nequaquàm tamen ſatis oſtenditur, per eam irritari etiam matrimonium in gradu illo juxta tritum illud: *multa fieri prohibentur* &c.

299. Si affinitas ex copula licita, ſeu matrimoniali non dirimit matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, multò minùs dirimit in eodem gradu affinitas orta ex copula fornicaria, ſeu illicita, ùt quaſi *Omnes* conſentiunt: licèt enim ad talem etiam copulam ſequatur unitas carnis, experientia tamen docet, odia potiùs & inimicitias per eam induci, quàm ſpeciale aliquod dilectionis vinculum: Nec filius ordinariè tantã reverentiæ ſubordinationem habet ad patrem illegitimum: imo nec Leges talẽ agnoſcunt pro vero filio, & quantùm ad ſucceſſionem hæreditariã omnis affinitas ex concubitu fornicario negatur, ùt *ſuprà* dictum *ex L. non facilè. §. affines. ff. de gradib. affinit.* Unde etiam in primo gradu affinitatis illicitæ diſpenſatum ſæpè fuiſſe ex Layman *l. 9. tract. 10. p. 4. c. 6. n. 6.* advertunt Pirhing, & Reiffenſt. *ll. cit.*

300. *Concludo* igitur: non tantùm in primo gradu affinitatis tranſverſæ, & in ulterioribus gradibus affinitatis lineæ rectæ, ſed etiam in primo gradu ejuſdem lineæ poſſe infideles valida celebrare ma-

trimonia, nisi speciali eorum lege declarata sint nulla, qualem non fuisse apud Persas credibile est, cùm mortuo patre uxorem ejus, uti ferunt, duxerint. Quocirca si contractô in eo gradu conjugio infidelem subinde converti contingeret, permittendus esset in illo, nec egeret dispensatione, nisi fortè ad superabundantiam, aut tollendum scandalum, si quod secuturum videretur. *Si autem* post contractam in infidelitate vi copulæ conjugalis affinitatem, infidelis Baptismum reciperet, omninò ligaretur hôc impedimentô, sícque mortua sua uxore invalidè contraheret cum quacumque consanguinea illius. Cùm enim vinculum carnis, dilectionis specialis, & reverentiæ ex natura rei resultet per copulã conjugalem, ut *superiùs* dictum est, illud oriri etiam in infidelibus, in quibus eadem naturalia sunt, certum est: quia igitur eidem vinculo superimposuit Ecclesia impedimentum dirimens, illô infidelis post conversionem suam gravabitur hôc ipsô, quòd sub Ecclesiæ imperio constituatur. Alijs citatis Sanchez *disp.* 55. *n.* 6. Utrùm verò is, qui tempore infidelitatis ex illicita copula factus est affinis, possit post Baptismum ducere in secundo gradu, disputant DD. apud Sanchez

chez, & Pirhing *n.* 33. videtúrque utrumque ſatis probabile.

§. III.

Quid de Affinitate, quæ matrimonium ſubſequitur?

301. IN 4. *Decret. c.* 1. *de eo, qui cognovit* &c. ſtatutum legitur: *ſi quis cum filiaſtra* (privigna) *ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec à matre* (illius filiaſtræ, ſeu ſuæ uxoris) debitum petere poteſt. Ultrà etiam *c. diſcretionem.* 6. *eôd.* de ea, quæ à conſanguineo mariti invita cognita fuit, reſcripſit Innocentius III. *Nec affinitas, quæ poſt contractum legitimè matrimonium inter virum, & uxorem iniquè contrahitur* (per inceſtũ) *ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non extitit: cùm ſuo Jure non debeat ſine ſua culpa privari.* Quocirca idem Papa *c. fraternitati* 10. *cit. tit.* requiſitus: *utrùm is, qui cum ſorore legitimæ conjugis fornicatur* (adulteratur) *cum uxore poſſit poſtmodum eõmorari, & exigere debitum, ac ſolvere?* reſpondet quidem: quòd *ut uxor à commixtione viri abſtineat propter publicam honeſtatem* (affinitatem, quæ etiam publica honeſtas dici poteſt per notata *N.* 268.) *diligentiùs eſt monenda:* ſi tamen ſe continere recuſaverit, ſubjungit: quòd *vir ejus poterit, & debebit*

cum DEI timore debitum ei ſolvere conjugale addita eadem ratione: *cùm affinitas poſt matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non exiſtit.* Ex quibus tam apertis Juribus legitimè.

302. *Aſſero I.* Ex omni coitu uxoris cum conſanguineo mariti (aut è contra ex coitu mariti cum conſanguinea uxoris) intra ſecundum gradum tantùm (propter remoderationem Tridentini ſuprà *N.* 294.) oriri affinitatem, quæ quidem matrimonium ſemel contractum non diſſolvit, prohibet tamen uſum illius, in quantùm vitari poteſt ſine injuria alterius conjugis. Unde (ùt in exemplo loquar) ſi Titia inceſtum cõmittat cum fratre Caji mariti, non audet ſub gravi culpa petere ab illo debitum conjugale, reddere tamen petenti tenetur: ne ille innocens ſuo jure privetur. Atque hoc non tantùm verum habet in caſu, quô maritus neſcit inceſtum ſuæ uxoris, ſed etiam, quô illud ſubinde reſcit: propterea equidem, quòd ei inceſtus uxoris innoteſcat, non fit deterioris conditionis, nec redditur nocens, aut reus; per conſequens æquè retinet jus petendi debitum, quod Jura intactum relinquunt iñocenti: quidquid gratis in contrarium ſentiat

303. *Assero II.* Quando justa causa negandi debitum intercurrit Cajo petenti, nequit Titia, quæ dictum incestum commiserat, illud reddere: cùm existente justa causa negandi, nullum jus petendi alter conjux habeat. Hinc si Titia mox ab initio matrimonij ante consummationem illius peccavit cum fratre Caij mariti, ante bimestre (eò enim tempore gaudet privilegiò negandi debitum) sub culpa non audet reddere, sed tantùm lapsò illo tempore, aut etiam anteà ex supposito, quòd jam semel (estò peccaminosè) copulam admittendo, matrimonium consumaverit: quia consummatò matrimoniò cessat illud privilegium, & oritur obligatio reddendi. *Similiter* si Cajus postmodum adulterium committat cum alia quacumque fœmina, Titia non potest illi ampliùs reddere debitum. Ratio est manifesta, quòd Cajus possit quidem petere debitum, sed non obligatoriè ratione adulterij, id est, non potest ex justitia illud exigere: cùm igitur Titia incestuosa eatenùs tantùm reddere teneatur, quatenus jus Caij illud postulat, deficiente eo jure cessat, seu deficit obligatio reddendi, & redditio redditur illicita. Dum tamen Titia vel unica vice admitteret copulam

cum Cajo marito, aut illi reconciliata, remitteret injuriam adulterij, teneretur postmodum semper reddere petenti; quia remissâ injuriâ adulterij, Cajus reacquirit jus petendi; licèt Titia malè egerit in primam consentiendo copulam.

Si verò Cajus non comitteret simplex adulterium, sed incestuosum, vicissim cognoscendo sororem Titiæ uxoris suæ, cùm uterque propter suum incestum privetur jure petendi, neuter reddere audet; Nec datur locus mutuæ compensationi; quia audere, vel non audere reddere debitum, non pendet ab arbitrio cõjugum, sed à Lege, omnem redditionem prohibente, ubi jus alterius conjugum aliud non exposcit: si ergo in dicto casu uterque suo jure privatur, neutri redditio conceditur: quàmvis aliud opinetur Sanchez in casu, quo fraudulenter cõmissus est incestus, ut scilicet uterque se ab onere reddendi liberet. Vide illum *l.* 9. *de matr. d.* 28. *n.* 5. ego enim nullum Jus id statuens, aut rationem firmam video: & paritas ex cognatione spirituali, in qua se fundat, non subsistit in principijs, *suprà de ea agendo* traditis.

304. *Assero III.* Hucusque dicta intelligenda esse *I.* Si incestus cum consanguinea conjugis intra secundum gradum fiat

fiat per copulam completam modò *NN.* 286. *& seqq.* explicatô. Unde si Titia admittat tantùm copulam incompletam à consanguineo Caij mariti, seu inchoatâ, semine illius extra vas diffusò, non privatur jure petendi debitum. Ratio est: quia Jura non imponunt illam privationem in pœnam incestûs cujuscunque (alioquin eam pœnâ incurreret Titia, tactus & pollutiones practicando cum consanguineo mariti, cùm se crimine incestûs implicet, præsertim tactus admittendo in ordine ad copulam, quam tamen casu impediri contingeret: immò multò magis, si cognosceretur à proprio consanguineo eô, quòd fiat gravioris incestûs rea, quòd tamen *communissimè* negatur) sed illius, qui affinitatem inducit, ùt deducitur ex *ll. N.* 301. *cit.* in quibus dicitur, affinitatẽ non officere innocenti, sed nocenti tantùm, ne audeat petere debitum. *Accedit*, hanc pœnam esse odiosam, sícque pro possibili restringendam. Perquæ ruit, quod P. Reiffenst. *ad* 14. *tit. lib.* 4. *n.* 60. contra *communem* sententiam persuadere nititur.

305. *Assero IV.* Intelligenda esse *II.* dum Titia liberè, & voluntariè admittit incestum cum consanguineo Caij mariti; siquidem in *superiùs cit. c. discretionem*, ille, qui mulierem suam, à se adhuc incognitam,

gnitam, *cuidam consanguineo suo tradidit, in quantùm potuit renitentem: Ille verò cum ipsa, licèt invitâ, matrimonij solennia celebravit*: jubetur redire ad ipsam, *& maritali eam affectione tractare; cùm adulterium* (incestuosum) *ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Postmodum insuper declaratur, eum incestum non debere nocere mulieri, nec illam jure suo privandam, *quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit.* Utrùm verò ipse vir incurrat pœnam privationis petendi debiti, mihi non est clarũ ex *hoc cap.* colligitur quidem, pœnæ reum esse, qui criminis incestûs particeps est: sed intelligi potest de illo, qui ipse incestum committit, non autem de illo, qui mulierem ad incestum inducens, causa est incestûs alieni. Interim si tibi animus foret affirmandi, vide Sanchez *cit. d.* 27. *n.* 3. qui plures adducit.

An item ea sit privata jure petendi debitum, quæ non quidem vi, & renitens oppressa est a consanguineo sui mariti, sed ex metu tantùm gravi inducta, copiam sui corporis fecit? cum Layman, Bonacina, Illsung, &c. probabiliter negant Sporer *de matr. n.* 84. Elbel *ibid. n.* 232. Item Engel *l.* 4. *tit.* 14. *n.* 7. Ratio est, quòd quàmvis nullus sit metus, qui à tam gra-

vi

vi peccato excusaret, de pietate tamen Matris Ecclesiæ minimè præsumendum est, quòd incestum ex metu patratū dictâ pœnâ plectere velit, cùm ejusmodi metus multùm debilitet voluntarium.

306. *Assero V.* Intelligenda denique esse *III.* in casu, quô Titia scienter admisit copulam cum consanguineo Titij mariti, textu claro *c. suprà cit. Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit &c.* Quocirca si Titia ignoret illum, quôcum peccat carnaliter, esse consanguineum Caij mariti: aut si sciat quidem talem esse, sed credit, secundum gradum transcendere: aut denique si nec hoc errore laboret, sed solummodò ignoret, suo peccato adnexam pœnam privationis petendi debitum: probabiliùs excusatur ab illa. Ita *citt.* & plures alij. Ratio eruitur ex Regula recepta interpretandi, & intelligendi Leges: *verba intelligenda sunt cum effectu, ita ut aliquid operentur, & non sint superflua. L. 1. §. hæc autem verba ff. quòd quisque juris*, & concordat *c. relatum. de clericis non resident.* Cùm itaque Canon requirat scientiam, *si quis scienter* &c. ignorantem non respicit, ne illud: *scienter* evadat fruſtraneum: & quia non distinguit scientiam Juris, vel facti, de utraque commodè intelligitur; per consequens

qui

qui alterutrâ detinetur ignorantiâ, licitè exigit debitum : idque verum est de ignorantia etiâ vincibili, & crassa, modò non sit valdè crassa, aut affectata, quam quis retineret, ex proposito non inquirens veritatem, ut liberius peccare posset cum consanguinea, ùt probat Sanchez *n.* 36. defendens illam doctrinam, quòd quàmvis ignorantia invincibilis tantùm excuset à peccato : à pœna tamen excuset quæcunque, quando Lex eam imponit illi, qui *scienter*, *audaciter*, aut *ausu temerario* contrarium attentare præsumpserit : videtur enim exigere, ut sit in dolo malo, qui ignorantiam excludit præter eam, quæ est affectata, aut cum ingenti temeritate conjuncta : aliàs etiam scientem, & non ignorantem lex vult obligare. *L. ex generalì* 10. *Cod. de Tabul.* Et quidem de ignorantia facti amplius constat ex paritate dictorum *NN.* 33. 146. *&* 156. ex quorum *primo* etiam habetur, dubium non salvare ignorantiam : sícque in proposito quoque, adveniente dubio in Titia, an is, à quo se cognosci finit, sit consanguineus mariti : vel utrùm (suppositâ notitiâ consanguinitatis) id non sit quadam singulari pœnâ vetitum : privationis pœnâ, si eô dubiô haud obstante usum corporis præbet, nequaquàm effugiet.

Sed

Sed quis liberare, & absolvere valeat ab hac pœna, dicam §. *seq.* N. 310.

§. IV.

Resolvitur casus de impedimento Affinitatis.

Tiberia cœlebs, & Terentia conjugata duæ sunt Sorores. Posterioris filium, quem illa suo genuerat marito, Saturnus, patrini munere functus, de sacro Fonte levavit: priorem verò, quam aliquando futuram sibi uxorem crediderat, carnaliter non semel cognovit. Moritur Terentiæ maritus, & ecce! illa, juvenis utpote vidua, & notabilis substantiæ ex mariti testamento hæres facta, magis placere incipit. Eam ergo, à qua facile consensum habuit, conjugem sibi desiderat. Sed quia impedimenta obstant, Religioso cuidam animum suum unà cum impedimentis, quibus implicatum se sentit, candidè aperit, & beneficium dispensationis, ab eo solicitandum, obsecrat. Annuit quidem ille: Verùm ne in delicata hac materia, à qua valor futuri pendet conjugij, in gravem impingat errorem, sciscitatur, ubi petenda sit dispensatio?

307. Duo hìc concurrere impedimẽta, Compaternitatis scilicet spiritualis ex munere Patrini, & affinitatis in primo gradu lineæ transversæ ex copula fornicari

caria cum Tiberia sorore Terentiæ. Primum est publicum, ùt supponitur, cùm Baptismus sit quodammodò recens, fuerit publicè collatus, & nomen Patrini Libro Baptismali insertum: adeoque pro foro externo petenda dispensatio. Cùm verò aliud impedimentum affinitatis sit occultum ex copula occulta, non nisi pro foro interno Sacræ Pœnitentiariæ eget dispensatione. Duo igitur Religiosus ille formabit Memorialia, unum pro foro externo, alterum ad Sacr. Pœnitentiariam: in illo præscindet ab impedimento affinitatis, & super sola cognatione spirituali dispensationem petet; sed in posteriori, ad S. Pœnitentiariam mittendo, utrumque exprimet impedimentum, non quidem ea ratione, quòd hoc Tribunal etiam dispensare soleat in impedimēto publico, sed quòd difficiliùs dispenset, dum matrimonio duo impedimenta obstant. Sanchez *l.* 8. *d.* 23. *n.* 7. Justis, & cum *communi* Reiff. in Append. *ad* 4. *n.* 153. accedente declaratione Cardinal. & Stylo Curiæ:

308. Porrò quantùm ad expressionē affinitatis, explicare debet, eam esse in primo gradu lineæ transversæ ex copula illicita: & quantùm ad cognationem spiritualem, necessariò quidem exprimet

met, eam esse compaternitatem spiritualem (nam in filiatione, & paternitate difficillimè, & non nisi ob valdè urgentem rationem dispensatio conceditur) & simplicem, ex munere patrini provenientem: necesse tamen non est significare, utrùm ex Sacramento Confirmationis, vel Baptismi descendat, cùm sit quodammodò eadem compaternitas. *citt.* Causam autem, quam adducet, colliget ex Saturno, quô videlicet, motivô ducatur ad Terentiam. Ubi advertendum ex doctrina Practicorum in hac materia, ad dispensandum in impedimento affinitatis ex copula illicita, etiam in primo gradu, tàm ante, quàm post contractum matrimonium in foro interno sufficere quamcumque rationabilem causam: quòd sit longè minùs impedimentum, quàm ex copula licita ex *N.* 299. tùm quòd præcludatur periculum cujusvis scandali, aut admirationis siniſtræ, dum pro foro interno tantùm res agitur. Pro dispensatione verò in compaternitate spirituali sufficit aliqua ex ijs causis, ex quibus dispensari solet in impedimento consanguinitatis, cui cognatio spiritualis assimilatur. Vide *citt.* & alios.

Prosecutio Casûs.

Hac instructione accepta, duo Religio-

sus

sus ille formavit Memoralia, & adveniente duplici quoque Dispensationis Rescripto, ab ijs, ad quos directa erant, observatis clausulis legitimè, & prout Juris est, dispensatum fuit cum Saturno, & Terentia. Contigit verò, quòd non tantum Saturnus ante diem nuptiarum sponsæ suæ carnaliter commixtus fuerit, sed Tiberia quoque Soror illius, tanquàm congressûs Saturni jam aliquando assueta, se aliquo post matrimonium tempore iterum cognoscendam præbuerit. Quid in his judicandum Confessario, cui Saturnus confitetur?

309. *Respondeo:* Confessarius judicabit, copulam Saturni cum Terentia sponsa fuisse simplicem fornicationem, non verò incestum: quia licèt ille fuerit affinis Terentiæ, per dispensationem tamen factam cessavit affinitas Theologica, seu quoad omnem Juris effectum, conformiter ad probata *suprà N.* 294. Nec est ratio, ut cesset incestus in ijs gradibus, in quibus per legem aliquam generalem sublata est affinitas, non verò, dum aufertur per dispensationem. Sanchez *l.* 7. *d.* 67. *n.* 9. Caram. *n.* 3807. *Theol. fund. l.* 3. benè inferens, sufficere, si Saturnus, aut Terentia se accusent in confessione de simplici fornicatione.

Copu-

Copula verò Saturni cum Tiberia non tantùm eſt adulterium, ſed etiam inceſtus propter affinitatem, quam cum illa contraxerat tùm ex copula illicita ante matrimonium, tùm ex licita, poſt illud cum Terentia ſorore habitâ. Et quia per hoc inceſtuoſum adulterium factus iterum eſt affinis ſuæ uxoris, non audet ampliùs petere debitum ab illa per dicta *N.* 301. *&* *ſeq.* Addunt nihilominus *DD.* quòd ſi contingeret, uxorem rariſſimè, aut nunquàm petere debitum ob verecundiam, ſimúlque adverteret, eam carnis agitari ſtimulis, licita eſſet modeſta inſinuatio copulæ, interrogando v. g. uxorem, an grata eſſet &c. ex una ſiquidem parte ſatisfit uxori, & præcavetur in illa alterius peccati periculum: ex altera verò vir non petit directè debitum, ſed offert ſe tantùm ad illud, reddítque potiùs, dum illa conſentit.

Attamen non rarò periculoſum in praxi videtur iſtud remedium: dum enim maritus ſanus, robuſtus, ac nulla indiſpoſitione impeditus, intermittit exactionem debiti, quod hucuſque non ſolebat, aut ſe tàm timidè inſinuat: non imeritò ſuſpicabitur uxor, illum vel ex admiſſo aliquo crimine impeditum, vel amorem erga ſe valdè diminutum eſſe: Hinc ſem-

per ejus eram opinionis, quòd maritus inceſtuoſus in caſu ſiniſtræ ejuſmodi ſuſpicionis, modò probabilis fuerit, abſque culpa petere valeat debitum. Ratio ſolida eſſe poteſt, quòd ex *communi* principio Eccleſiæ Leges, vetantes petitionem debiti, non ſoleant cum tanto damno (periculô nempe perdendi honoris, & famæ ex ſubodoratione ſecreti ſceleris, diminutione affectûs conjugalis &c.) obligare, ùt argumentatur Cara. *l. c. n.* 3799.

310. Cœterùm perbenè aget Saturnus, ſi quamprimùm poterit, diſpenſationem petet, & liberationem ab ea pœna privationis. *Sed* à quo eam impetrabit? *Reſpondeo*, non tantùm à Papa, Epiſcopo, Capitulo, vel Sede vacante, ſed etiam à quovis Confeſſario Mendicantis, ſive alterius Ordinis, qui Mendicantium privilegia participat. Et hoc vi Bullæ Eugenij IV. in qua annô 1436. Benedictinis Congregationis Caſſinenſis pridie Calend. Julij (& reperitur *in Bullario Caſſinenſ. T.* 1. *Conſt.* 36. ac à pluribus *DD.* refertur) idem privilegium conceditur, juncta declaratione Bullæ illius à Julio II. facta, & ejus juſſu à Ludovico Cardinale, & Pœnitentiario notificatâ, quam *cit.* Reiff. per extenſum in formalibus adducit. Præcipitur autem in illa, à diſpẽſante

sante salutarem pœnitentiam esse injungendam, & quidem gravem secundum P. Elbel de matr. *n.* 234. citantem Portel *tom.* 1. *Respon. moral. p.* 1. *cas.* 2. in memoriam utique beneficij dispensationis à perpetuo impedimento petendi debitum.

311. *Si dubitas*: utrùm Confessarij Mendicantes debeant esse â suis Superioribus Generalibus, aut Provincialibus specialiter deputati, ut prædicta facultate uti valeant? *Respondet cit.* Reiff. *n.* 576. *& seqq.* certum esse, eos ut dispensent ad petendum, dum conjuges ex voto castitatis emisso, privati existunt, non indigere licentiâ sui Superioris, hôc ipsô, quòd sine tali licentia possint in ipso voto vigore suorum privilegiorum dispensare. Si autem privatio juris petendi debitum oriatur ex affinitate superveniente, ùt in proposito casu, vi concessionis Leonis X. factæ PP. Augustinianis per totum mundum existentibus, quòd possint post matrimonium, in primo gradu affinitatis scienter, aut ignoranter contractum, *modò notorium id non fuerit, neque in judicio productum*, dispensare cum conjugibus, ut de novo contrahant, & in eodem contracto remaneant (quam concessionem cum Rodriquez nostro adducit P. Reiff. *cit. n.* 543. & Consentit Veracrux, de-

mitúrque ex Richardo Roffenſi Epiſcopo, & Martyre in Anglia in ſuo libello de cauſa matrimonij Regis Angliæ, de cujus fide non audet dubitare Caſſaing *de privil. Regul. tr. 5. c. 5.* Noviſſimè item P. Kazenberg. *in Suppl. Decalog. Theol. Patris Sporer c. 1. ſect. 4. n. 390.* quàmvis hi advertant, ut paſſim nemo eâ utatur, ſed urgẽte tantùm neceſſitate, de quo vide *citt.)* vi hujus, inquam, privilegij concludit P. Reiffenſt. Confeſſarios Mendicantium non egere ſpeciali delegatione ſuorũ Superiorum ad diſpenſandum in privatione petendi debiti eô, quòd ex dicto privilegio non ſit illis neceſſaria, ut diſpenſent in ipſo impedimento affinitatis, minùs igitur neceſſaria eſt, ut diſpenſent ſuper impedimento petendi debitum, quod ex affinitate procedit, quô quadrat *Reg. 53. I. in 6. cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus,* dum minus continetur in majori. Sanch. *l. 8. d. 1. n. 35.*

Hoc tamen non obſtante, uſu receptum videtur in Provincia mea, quòd A.A. R.P. Miniſtri Provinciales poſt ſui electionem, in Paſtoralibus, per ſingulos Conventus publicari ſolitîs, omnibus Confeſſarijs concedant dictã facultatem. Quàmvis enim ſecundum prædictam ſententiam ſpeciali conceſſione minimè opus foret,

foret, nequit tamen negari, eam ad majorem deservire securitatem, & Confessarios ab omni imaginabili scrupulo liberare. Cum hoc tamen stat, Superiores suis subditis posse aufferre potestatem dispensandi: quàmvis enim ad eam non indigeant licentiâ Superiorum, credo tamen requiri, ne sint contrarij, & hoc propter plenam subordinationem subditorum ad Superiores.

312. Denique utile est scire, Mendicantes Confessarios posse quoad petitionem debiti dispensare etiam extra forum Sacramentale; item cum Personis incognitis, & absentibus. Petrinus itaque carens facultate, dum occurrerit Pœnitens inceſtuosus, & ob id jure petendi debitum destitutus, benè aget, si ex instructione P. Gobat *tract.* 10. *n.* 604. Sporer *n.* 483. &c. scripserit alicui ex Mendicantibus, aut Communicantibus in illorum privilegijs, ut dispensare dignaretur cum NN. (subticito nomine vero) si enim responsum dispensationis obtinuerit, salva res est. Attendat autē, ne pœnitentiam salutarem juxta dicta *N.* 310. imponere negligat. Item, ut rationem, & motivum dispensationis exprimat, quod vix deesse potest, periculum videlicet incontinentiæ, si debitum

non peteret: aut ne petendo, cùm sit in continua occasione, & aliàs petere solitus, delinquat: vel ne malæ suspicionis ansam præbeat, si præter solitum petere intermitteret: diminutionem amoris causaret &c.

Impotentia.

313. PRæsens impedimentum explanari nequit absque verbis parùm verecundis, â quibus infirmi, incauti, & vitiosè curiosi scandalum ruinæ in materia de se lubrica sumere valent. Nihilominus quia perfecta illius notitia sumè necessaria est Judicibus utriusque fori, interni, & externi, prætermitti non debet, ita tamen, ut ad cavendum mali periculũ non legatur curiosè, sed monente P. Pichler *ad tit. de frig. n.* 1. ex necessitate doctrinæ tantùm, pura intentione, & invocato Divino Numine.

§. 1.

Explicatio Impotentiæ.

314 ALia est impotentia *coëundi*, alia generandi. Prima impedit coitum viri cum fœmina, qui ad generationem prærequiritur: secunda stat cum illo, & impedit generationem tantùm, dicitúrque *sterilitas*. 315.

315. De sterilitate, seu impotentia generandi nullus hîc sermo erit, cùm satis constet ex praxi Ecclesiæ, eam matrimonium minimè impedire: *posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & ducere, de qua filios habeat, & tamen non licet c. 27. xxxii. q. 1.* & qui id fecerit, adulterij crimine damnatur. Homines siquidem post lapsum, deperditô frœnô Justitiæ originalis (ùt loquuntur *Theologi*) quæ impetum belluinum partis inferioris reprimebat, ad actum conjugalem nimis proclives effecti, indigebant remediô matrimonij, quô uti possent ad vitandam incontinentiam, licèt illud primitus non nisi ad procreandam sobolem institutum fuerit. *c. 14. xxvii. q. 1. Nuptiarum bonum semper quidem est bonum: sed in populo DEI fuit aliquando legis obsequium: nunc est infirmitatis remedium;* quam infirmitatem agnoscè D. Paulus 1. *Corinth. 7.* monuit: *propter fornicationem* (vitandam) *unusquisque* (qui continentiæ servandæ ex virtute insudare nollet) *suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.*

316. Impotentia coëundi, quæ facit ad propositum, vel afficit virum, vel fœminam: & quidem hanc fermè semper ex nimia arctitudine vasis genitalis, aut ex maleficio. Virum autem vel ex defec-

tu membri, vel utriusque testiculi: aut ex improportione membri, quia est nimium breve, vel excessivè crassum: aut complexione, ut si sit naturæ præter solitum frigidæ, quæ non sufficit ad erigēdam virgam, vel ita calidæ, ut ante penetrationem vasis fœminæi, præsertim arctioris, semen effundat.

317. Constat autem, aliquando impotentias oriri ab intrinseco, seu à natura, aliquando ab extrinseco, & frequentissimè à maleficio ope Dœmonum: vir enim de se potens ad coëundum cum tali muliere, potest per operationem diabolicam ad instantiam magi, aut sagæ impediri à coitu: *DEus* namque, inquit Scotus 4. *d.* 34. *q.* un. *permittit Dœmones exercere potestatem suam* (quam cæteroquin ligatam habent, ne ad libitum noceant) *ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, in quos possent, si non essent impediti.* Et nosco duas maritatas, quæ hujuscemodi ligaturam (maleficij impotentia *ligatura* dicitur) passæ erant. Porrò ad illam dignoscendam bonū signum esse videtur, si vir ad alias fœminas sit potens, non verò ad suam uxorem, in qua tamen nihil impedimenti ad copulam advertitur. *Item* si vir usque ad coitum se potentem sentit, sed dum illum inchoa-

re

re conatur, insolitum languorem in virga experitur, quæ à necessaria erectione remittit.

318. *Item* impotentia est quandoque *respectiva tantùm*, ùt si vir cum hac congredi nequit, quia nimis strictum vas illius reserare nequit: vel quia illius grossũ membrum latiora muliebria postulat. Quandoque verò *absoluta*, dum scilicet vir nullam cognoscere, vel mulier à nullo cognosci potest. *Item* est vel *perpetua*, vel *temporalis* tantùm, quarum explicationes vide §. *seq. N.* 324. *& seqq. Denique* potest advenire vel ante contractũ matrimonium, vel post illud: v. g. ex diuturna infirmitate, vel nimia evacuatione sanguinis.

§. II.

Impedimentum Impotentiæ

319. DEclarat Alexander III. generaliter: *qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur. c. quòd Sedem 2. de frig. & malefic.* patebítque ex pluribus alijs locis per decursum. Ratio à priori valida sumitur à natura matrimonij, quod dicit contractum translativum mutuæ potestatis conjugũ in corpora ad usum, seu actum conjugij: cùm igitur *nemo det, quod non habet*, ille

qui non poteſt habere uſum ſui corporis, nequit eum alteri dare, nec ſe obligare alteri ad illum per Reg. 6. *I. in 6. nemo poteſt ad impoſſibile obligari*: per conſequēs nec matrimonium celebrare. Ex quo.

320. Optimè *concluditur*, abſolutam, & perpetuam impotentiam, quæ matrimonium antecedit, dirimere quodcunque impotentis matrimonium, reſpectivam verò non niſi cum illa celebrandi, reſpectu cujus aliquis impotens eſt.

Dixi: *quæ matrimonium antecedit*: ſi enim illud ſubſequitur, non dirimit, aut diſſolvit: nam *bi, qui matrimonium ſani contraxerunt* (& potentes) *& uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit; ob hanc infirmitatem conjugia talium ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum de bis, qui --- aut membris truncantur, aut à Barbaris exfecti fuerint*, & impotentes facti. Hinc *indubitata* eſt ſententia, matrimonium conſumatum non niſi morte unius, ratum verò profeſſione religioſa per dicta *N*. 65. *& ſeq.* diſſolvi, aut probabiliùs etiam diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, ad quam ſuperveniente impotentia unius conjugum utiliter recurri poteſt.

Dixi etiam: *perpetuam*. Nam qui aliquando potens erit, valet matrimoniū con-

contrahere: nec est necesse, ut quis actu, dum promittit, aut se obligat, possit usum corporis dare, cùm dabilis, imò ordinaria sit obligatio ad futuram solutionem. Speciale quid est de impotentia defectu ætatis, de qua *infrà §. 4. N. 354. & seqq.*

321. *Concluditur item*, posse quidem impotentes contrahere in ordine ad castè vivendum, seu ad vitam socialem, & obsequia humanitatis invicem præstanda, atque ex hoc fine simul habitare (nisi à periculo incontinentiæ prohibeantur) attamen contractus iste (quidquid velint Pauci aliqui) matrimonium non erit. Matrimonij siquidem contractus essentialiter requirit potestatem datam, & acceptam in corpora ad usum, juxta illud *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter* &c. 1. *Corinth.* 7. Unde qui sibi, excluſa, vel impossibili hac potestate alium finem præfigerent, attamen matrimonium inire vellent, pugnantia involuerent, dando nimirum eam potestatem vi matrimonij, & non dando ratione impotentiæ. Caram. *l.* 3. *Theol. fund. n.* 3812. & agerent contractum chymericum. Mastrius 4. *d.* 7. *n.* 416. qui etiam plura absurda inde deducit. Dum verò contractus impotentium vocatur quan-

quandoque vinculum, aut *retinaculum conjugale*, ùtc. *requisiſti. xxxiii. q.* 1. intelligitur retinaculum putatitium duntaxat, quod *ibidem* diſſolvendum dicitur, cùm tamen verum, & proprium conjugij vinculum diſſolutionem refugiat. Pichler *4. tit.* 15. *n.* 5. *&* alij.

322. Per hæc tamen non negatur, matrimonium eſſe poſſe *in quibusdam in humanitatis ſolatium. c.* 41. *xxvii. q.* 1. & *non propter ſolam procreationem filiorum, ſed propter ipſam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem*, ùt loquitur S Aug. *de bono conjug. c.* 3. Dummodò tempore initi matrimonij non deſit potentia ad coitum, ut poſſit facultas ad illum alterutrum dari, licèt ea conjuges nunquàm utantur, ſed ad dictos fines conjugium contractum dirigant, ùt docent Sanctorum exempla varia, qui in conjugio permanſêre virgines.

323. Ex quo ſalvatur proprietas matrimonij B. V. MARIÆ cum S. Joſepho: quàmvis enim ratione voti nullum viri congreſſum admittere potuerit, ùt Scotus *cit. d.* 30. *q.* 2. colligit ex Evangelio *Luc.* 1. rectè tamen ſe obligavit ad illum congreſſum, non quidem abſolutè, ſed ùt Idem ait, *ſub conditione implicita, ſi petatur.* Poteſt equidem ſtare domi-

dominium in corpus sine voluntate illô utendi, licèt non sine potentia usûs.

Nec inferas, B. Virginem violati voti ream esse, si animum etiam conditionatum ad copulam habuit, quæ ex absoluto integritatis voto sub nulla conditione licita erat: & quidem eô magis, quòd *voventibus virginitatem non solùm nubere, sed etiam velle, damnabile est. c. 2. xvii. q. 1.* ex S. Hieron. *Nam* stante certitudine, quòd actus conjugalis nunquàm exigetur ab altero conjuge, se sub conditione, si exigetur, ad illum obligare, nullam mali rationem involvit: cùm enim votum interdicat actum tantùm, non video, quomodo violetur per puram traditionem potestatis sine ullo periculo actûs? Quòd autem B. Virgo desuper certificata fuerit, actum nunquàm à S. Josepho petendum, persuadet sibi Scotus *l. c.* indubitanter, quem vide: Unà quoque conclude, hôc ipsô, quòd alia aliqua fœmina, voto integritatis adstricta, non foret certificata, à marito nunquàm debitum petendum, non posse sine læsione voti matrimonium contrahere, quia se exponeret periculo manifesto admittendi actus. Sed his incidenter adnotatis, redeundum ad superiora

324. *Quæres*, quæ impotentia sit perpetua? *Respond.* genericè loquendo eam esse, quæ per artem, naturam, aut medium aliquod licitum aufferri nequit. Sed specificè loquendo

325. Ejusmodi impotentia *I.* est, cui absque vitæ, vel gravioris etiam morbi periculo subveniri non potest. Colligitur ex *c. fraternitatis. de frig.* ubi Innocentius III. postquàm dixisset, impedimentum impotentiæ non fuisse perpetuum, *quod absque corporali periculo potuerit removeri* (unde â contrario sensu quod non potest sine dicto periculo removeri, perpetuum est) concludit *infrà*, â fortiori arctitudinem fœminæ esse perpetuam, quæ sine tam gravi violentia incidi nequit, *ut ex ea mortis periculum timeatur:* quæ enim sine periculo vitæ fieri nequeunt, impossibilia reputantur : & quia gravior morbus adfert periculum vitæ, illius periculum vitæ periculo moraliter æquiparatur, ùt notat Sanchez *l. 7. d.* 93. *n.* 18.

Quando autem hujusmodi periculũ in curatione impotentiæ sublateat, periti Chirurgi, & Medici scient, qui propterea etiam advocandi erunt, & desuper audiendi. Et si opus fuerit, mulierem ab illis visitari, non debet illa vereri id admit-

mittere, tanquàm rem utilem, & neceſſariam ad honeſtum finem, à quo pendet valor matrimonij. Scribunt quidem SS. PP. contra viſitationes virginum, quæ illarum pudori, & verecundiæ adverſantur, ſed non reſpiciunt maritatas, quæ cùm corpus maritis expoſuerint ad uſum carnalem, virgineam verecundiam non ampliùs præſeferunt. Marchant. *tom.* 3. *Trib. Sacr p.* 3. *tit.* 1. *tr.* 4. *q.* 1. niſi vitâ Monialium, quod matrimoniô nondum conſummatô facere poſſunt, profiteri velint.

326. E contrario *infero*, perpetuam impotentiam non eſſe, quæ cum gravi tantùm dolore curatur. Nam uxor aliunde dolorem ſuſtinere tenetur, ut apta ad congreſſum facta, juri mariti in reddento debito ſatisfacere valeat, & tam in ſe, quàm in illo periculo incontinentiæ obviare. *Accedit*, multas eſſe, quibus tam ſtrictum eſt vas, præſertim ante partum, ut abſque ſenſibili dolore cognoſci non poſſint, prout de fœminis Indiæ occidentalis ſcribit Gundiſalvus *in ſumario de India Occident. c.* 10. nec tamen impotentes ad matrimonium æſtimantur. Hujuſmodi ergo impotentia temporalis tantùm eſt, & cum matrimonio compatibilis.

327.

327. *II.* Perpetua impotentia eſt, quæ citra miraculum tolli non poteſt, per textum *c. fraternitatis. cit.* ubi Papa ait, impotentiam non fuiſſe perpetuam, quæ *præter Divinum miraculum potuit removeri;* ùt enim morbus dicitur immedicabilis, etſi Divinitùs curari poſſit, ita impotentia dicitur incurabilis, quæ nullum humanitùs remedium habet. *Citra miraculum*, inquam, non citra virtutem Divinam. Abſolutio â peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ fit quidem virtute Divina ad miniſterium Sacerdotis: quia tamen ordinaria eſt, miraculoſa non dicitur: ſic etiam impotentia maleficij per Exorciſmos, & preces &c. virtute Divina ceſſat, ſed quia Exorciſmi ſunt media uſitata in Eccleſia, & ordinaria, miraculi ratio non intervenit.

228. *III.* Impotentia denique perpetua eſt, quæ abſque interveniente culpa nō tollitur; cùm illicita ſint in Jure impoſſibilia: *ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. L. filius, qui ff. de condition. Inſt.* & DD. Regulam 6. *I. in 6. nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, intelligunt etiam de morali impoſſibilitate, ex peccato ortâ. Et hoc etiam reſpectu infidelium verum arbitror, qui etiam tenentur peccata vitare.

Quo-

Quocirca fœmina, cujus vulva instrumentô dilatari potest (novit Caramuel. n 3810. magnam Principem, quæ nimis arcta nummô aureô à matre relaxata fuit) licèt in eo opere pollueretur, perpetuò impotens non est, quia passio pollutionis, ex opere licito provenientis, culpâ caret, modò desit consensus. Impotentia autem maleficij, quæ non nisi aliô maleficiô tolli potest, perpetua est, cùm recursus ad maleficium non tantùm Jure humano pluribûs *Canonib. caus. xxvi. q. 2.* interdictus sit, sed etiam Divinô: *non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid scisciteminí. Levit.* 19. & alibi. *Nec* excusat bonus finis tollendæ impotentiæ ad firmandũ matrimonium. Monet *enim* Apostolus *ad Rom.* 3. *non faciamus mala, ut eveniant bona.* Vide Martin. Delrio *l.* 6. *disquisit. magicar. q.* 2. Sed occasione hujus

329. *Nota* varios curandi maleficiũ impotentiæ modos. *Unus* præscribitur *c.* 4. *xxxiii. q.* 1. ut ligati per preces, eleemosynas, orationes, expiationem conscientiæ Domino satisfaciant; *& per Exorcismos, ac cœtera Ecclesiastica disciplinæ munia Ministri Ecclesiæ tales, quantum Dominus annuerit ... sanare procurent.*

Alium modum subministrat Scotus

l. c. d. 34. *q. un.* dicens: *si tamen* DEus (preces) *non exaudiat, tunc si sciretur maleficium, & destrueretur, dœmon non fatigaret eum amplius* (impediendo copulam) *quia ex pacto non assistit,* (regulariter) *nisi dum durat aliquod signum* v. g. acus curvata, aut capilli, pilli, frusta olæ &c. involuta, & lecto conjugum, aut postibus domûs supposita. *Nec scrupulizandum*, utrũ modus iste liceat: *non enim solum licet*, ait idem, *sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis, sed credit dœmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponit finem tali vexationi*, ùt constat in fœmina mihi nota, quæ hâc viâ à suo Confessario feliciter adjuta erat.

Imò destructio, & oblatio talis signi potest licitè peti ab ipso mago, aut saga (nunquàm tamen à dœmone) dumodo sine novo maleficio fieri possit, de quo antecedenter interroganda est. Et si affirmet, se posse pura oblatione signi maleficium tollere, licèt id deinde non faciat, nisi per aliud maleficium, tota culpa redundabit in sagam tantùm. Vide Sanchez *l. 7. d.* 94. *& seq.* & Delrio *cit.*

Alius iterum modus curandi maleficium petitur ab arte medica: cùm enim dœ-

dæmon vix aliter operetur in corpora humana, quàm applicando activa passivis, experientiâ didicimus, inquit Caram. *cit.* peritos Medicos aliquando prævaluisse.

§. III.

Modus procedendi cum impotentibus.

330. IN utroque foro tutè sustineri potest, & præsumi, impotentiam, de qua dubitatur, an fuerit antecedens, vel sit subsequens matrimonium, esse antecedentem, & matrimonij annullativã: cùm enim & antecedere, & subsequi possit, nec sit ratio urgens credendi, eam subsecutam potiùs fuisse; id rationabiliter præsumitur, quod cedit in favorem conjugis, & fini matrimonij non præjudicat: & hoc est præsumere impotentiam antecessisse; stante etenim impotentia, finis matrimonij cessat, quia copula non licet, promovetur autem favor conjugis, qui ob impotentiam antecedentem aliud cõjugium inire, prolem generare, & suæ incontinẽtiæ satisfacere potest, quapropter illud ex *c.* 47. *de testib. tolerabilius est aliquos contra statuta hominum admittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contra statuta Domini separare:* ex quo *communiter* dicitur, in dubio standum esse pro valo-

re matrimonij: verum est in dubio ejusmodi tantùm impedimenti, quod non impedit usum matrimonij: ad quid enim sustinendus in dubio valor matrimonij, qui nulli usui deseruit? Ex Abbate, & alijs Reiff. *ad tit. de frigid. n.* 28. In casu igitur impotentiæ causa matrimonij non censetur esse favorabilis.

331. Id etiam in utroque foro notãdum, quòd quocunque tempore conjux contra matrimonium reclamaverit ex impedimento impotentiæ, audiri debeat ad eam probandam: nam *c. fin. de frig.* post 8. annos audita fuit mulier, & meritò, cùm matrimonium ab initio invalidum tractu temporis non convalescat: *non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. R.* 18. *I. in* 6.

His præmissis pro quovis foro distinctè procedendum. Et imprimis

In foro interno.

332. Cõfessarius interroget pœnitentẽ, an aliquando saltem matrimonium consummaverit? si ita, illud est validũ per dicta *N.* 320. quia certum est stante consummatione matrimonij impotentiam non fuisse antecedentem.

Suggeret autem varia remedia, & cõsilia pro diversitate impotentiæ. Et quidem pro maleficio habet remedia *N.* 329.

pro

pro frigiditate viri diriget impotentem ad Medicos. Si autem proveniat ex arctitudine, & *matrimonium non erat longo tempore antecedenter contractum*, admittet Cõfessarius probationem ulterioris copulæ, donec probabilis spes superfuerit, eam perficiendi: nec timenda est profusio seminis extra vas: nam ex matrimonio contracto exurgit jus ad copulam, quô nullus conjugum privari debet, donec certũ non fiat, copulam esse impossibilem. Id tamen cavendum erit, ne complacentiam ex pollutione conjux concipiat, ut *Moralistæ* generaliter advertunt pro omni casu, quô pollutio præter intentionẽ, & indirectè sequitur.

Sed quanto tempore durat probabilis spes perficiendi copulam? *Respond.* in Jure assignari tempus triennij, de quo *infrà N* 341. Dum igitur certum non fuerit, impotentiam esse incurabilem, conjuges per triennium cohabitare, & operi conjugali vacare valent.

Dixi suprà: *& matrimonium non erat longo tempore antecedenter contractum.* Si enim per triennium conjuges jam copulati, frustrà tentârunt copulam, non video, illis ulteriorem probationem concedendam, cùm per lapsum tanti temporis prudens spes evanescat perficiendi

copulam. Si tamen judicio Medicorum &c. impotentia curari potest sine periculo gravioris morbi, aut vitæ, nec media curationis unquàm adhibita fuerunt, etiam post lapsum triennij adhiberi debent, ùt medicinæ, incisio fœminæ, Exorcismi &c. per dicta *in superioribus*.

333. Si nec per experimentum triennale, nec virtute mediorum potentia recuperari valuit, interdicet Confessarius tentamentum ulterioris copulæ; dum enim moraliter constat, illam esse impossibilem, profusio seminis, quæ in conatu ad copulam succederet, absque peccato admitti nequit: unde etiam separationem tori injunget: quis namque credet, conjuges in eodem lecto securos esse, & tutos ab ulteriori attentatione copulæ. Sed oscula, amplexus &c. qui proximè ad pollutionem non disponunt, exercere possunt: nam per hoc, quòd sint privati jure ad copulam, non sunt privati jure ad oscula, amplexus &c. Id tamen mihi nullô modô probatur, quod cum Sanch. *d.* 102. *n.* 7. aliqui volunt, viro scilicet post matrimonium orbato ambobûs testibûs licere adhuc copulam eô, quòd per accidens eveniat, verum semen non emitti; & aliàs cum semine sterili licita est copula. *Nam* sine semine non datur

tur copula conjugalis: cùm igitur castrati non habent semen per dicenda *N.* 351. copulam exercere non possunt, proinde nec dicendi sunt uti jure conjugali, dum congrediuntur, sed potiùs incitare uxorẽ ad pollutionem, quod nunquàm licèt. *Nec* est paritas de semen sterile habentibus; cùm aliud sit, semen sterile, aliud autem nullum semen habere: aliàs sicut sterilis potest contrahere matrimonium, ita & Eunuchus, quod nec AA. admittere audent propter dicenda *l. c.*

334 Ultimatim *advertet* Confessarius, si impotens conjux *quacunque tandem ratione* evaserit potens, illi licitum fieri usum conjugij, qui ratione matrimonij semel validi semper licitus est, dum illum impotentia, aut aliud quid non impedit. Dixi: *quacunque tandem ratione*, id est, etiam per maleficium. Nequeunt quidem conjugati maleficiô procurare potentiam, procuratâ tamen licitè utuntur, quia peccatum non manet in usu illius, sed tantùm in procuratione: sicut etiam meretrix impunè utitur pecuniâ, quam opere meretricio peccaminosè acquisiêrat.

335. Atque hæc sunt notanda Confessario, dum pœnitens fatetur, impotẽtiam superveniisse matrimonio: aut dum de eo dubium fuerit. *Sed*

Sed quid, dum conjux asserit, impotentiam antecessisse? *Respond.* Confessarius, si id paulò post initum matrimonium resciat, inducet impotentem, ut experiatur, an impotentia sit curabilis per media *superiùs* insinuata; ad ea enim omninò tenetur ad videndum, utrùm matrimonium sit validum. Si verò sit incurabilis, vel quia periti testantur, vel quia per plures annos expertus est, se nunquàm potuisse matrimonium consummare: videat Confessarius, an conjuges sciant, matrimonium esse nullum, aut saltem de eo dubitantes informari cupiant? Si ignorant (recordor fœminæ, quæ duorum maritorum successivè per plures annos uxor, nescivit matrimonia sua esse defectu potentiæ nulla: sed causa tandem ad Consistorium delatâ, declaratum erat matrimonium invalidum, data marito facultate ad alias nuptias transeundi) si ignorent, inquã,& Confessarius unà quoque præviderit, quòd conjuges, tot annis cohabitantes, ob publicam confusionem non sint ab invicem discessuri, neque si simul permanserint, actus, veris conjugibus licitos, omissuri: necessariò dissimulabit nullitatem matrimonij, conjuges in bona fide, & errore materiali permittendo, ne veritatem aperiendo, eos evidenti

gra-

gravium peccatorum periculo exponat per universaliter dicta *N.* 158. in casu cujuscunque impedimenti ignorati, & ad præsens instruit P. Karg. *in Manual. Canonico-Theologico &c. p.* 1. *de administ. Sacram. matrimonij n.* 51.

Si verò conjuges sciant nullitatem matrimonij ratione impotentiæ perpetuæ, aut saltem dubitent, & interrogent, veritas simulanda non est, sed nullitas matrimonij detegenda, & omnis actus, qui conjugibus licet, omninò interdicendus.

336. *Quid ergo* consulet Confessarius? *Respond* Si conjuges nolint in Judicio agere ad declarandam nullitatem matrimonij: nec etiam insimul habitare tanquàm frater, & soror, aut si hanc cohabitationem impediret periculum incontinentiæ: suadebit, ut impotens Religionem ingrediatur, quo casu, si id saltē probatum fuerit, quòd matrimonium necdum sit consummatum, integrum est alteri conjugi petenti, & in sæculo remanenti ad alias nuptias transvolare: quia per professionem unius dissolvitur matrimonium ratum etiam validum. Si verò nec ostensum fuerit, matrimonium non esse consummatum, conjux potens hôc ipsô, quòd supponatur in foro Ecclesiæ

illud esse validum, & consummatum, ante mortem conjugis professi non audet alias nuptias celebrare, ne generetur scãdalum in publico: quàmvis si id faceret, nuptiæ forent validæ, cùm non obstaret matrimonium antecedens, quòd à parte rei nullum est ratione impotentiæ, per dicta *de Impedim. Ligaminis.*

Si verò conjuges separari cuperent, & conjux potens ad aliud matrimonium aspiraret; vel si impotentia foret aliunde notoria, & ex ulteriori cohabitatione scandalum resultaret; diriget eos Confessarius ad Reverendiss. Consistorium, ut in eo probent impotentiam ad obtinendam nullitatis sententiam. Nec unquàm admittet Confessarius, ut sine sententia Judicis à publicè contracto matrimonio recedant; tùm ut vitetur scandalum: tùm quia conjuges facilè fingerent impotentiam ad annullandum matrimonium, si ad concludenter probandam impotentiam non tenerentur: tùm denique quia etiam ob notorium impedimentum consanguinitatis non licet vinculum matrimonij absque judiciali sententia infringere: *quòd si etiam parentela esset publica, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea* (sua conjuge) *separari non potuit* Comes ille, qui id attentâsse narratur *c. porrò 3. de divort.*

337.

337. Pariter ad Judicem remittet causam, dum unus conjugum allegat impotentiam, altero negante, & allegans non vult alteri ut frater, aut soror cohabitare (præcisô periculô alicujus actus illiciti) impotentia enim redditur dubia, & probationes illius in judicio legitimari debent. Aliàs etiam conjux negans non nisi à Judice cogi potest ad respondendum.

338. Hæc ad institutionem Confessarij pro nunc sufficiant, qui quædam alia ex dicendis §. 5. pro suo adhuc munere videre potest.

In foro autem externo

339. Judex nunquàm nudæ assertioni conjugum fidem de impotentia præbere audet, sed tunc tantùm, dum ea *probari potest per verum judicium c. 1. de frigid.* propter periculum, ne conjuges, facti invicem exosi, impotentiam fingant ad obtinendam separationis facultatem, quæ ratio etiam urget, ne conjugibus, asserentibus impedimentum affinitatis, fides detur: *cùm & quandoque nonnulli inter se contra matrimonium vellent colludere, & ad confessionem incestûs facilè posilirent, si suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum. c. super eo. de eo, qui cognovit.* Probatione ergo opus est.

340.

340. *Sed* quali? *Respond.* in casu, *quô ambo fatentur impotentiâ unius*, cáque aliunde non constat, fœmina, si virgo nupserat, & necdum corrupta est, inspici, & visitari debet *â duabus saltem matronis bonæ opinionis, fide dignis, & expertis in opere nuptiali* (sive sint obstetrices, sive aliæ) *c. fin. cit. tit. de frig.* quibus sub periculo animarum imponendum, ut mulierem prudenter inspiciant, & diligenter perquirant, etiam palpando, utrùm cognita sit â viro, aut idonea ad viriles amplexus, prout factum in casu relato *c. fraternitatis. eôd.* suúmque testimoniû juramentô roborent, quia *nullius testimonio, quantumcunque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. c. nuper nobis. de testib.*

Si matronæ non sufficiunt, quia v.g. licèt mulier necdum sit cognita, nescitur tamen, an per artem, & incisionem juvari possit, ut apta fiat ad congressum &c. non verebitur etiam Chirurgos, & Medicos peritos ad sui visitationem admittere per dicta *N.* 325. cùm sufficiens in tali casu notitia â matronis haberi nequeat. Ad visitationem autem viri vocandi semper sunt Chirurgi, & Medici, quia non videtur, ad quid matronæ deservirent.

341. Facta visitatione si dipositerint, evi-

evidens, & phyſicè certum eſſe de impotentia incurabili, aut curabili quidem, ſad non abſque periculo gravioris morbi, vel vitæ: Judex mox declarabit nullitatem matrimonij ex ſupoſito, quòd impotentia anteceſſerit, aut de eo ſaltem dubitetur per dicta *N.* 330. Si verò edixerint, eam non eſſe quidem phyſicè certã, ſed veriſimilia tantùm indicia illius adeſſe, offerri debet juramentum conjugibus de eo, quòd probantes copulam, nunquàm eam conſummare potuerint: exigi unà quoque juramentum ſeptimæ manùs juxta *c. laudabilem. de frig.* ibi. *ſi quòd nunquàm ſe cognoverint, amho fatentur, cum ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ* (ſed *DD.* notant pauciores, quàm ſeptem ſufficere vel propter defectum plurium, vel propter conſuetudinem) *ſi propinqui defuerint, tactis Sacroſanctis Evangelijs* (aut coram Crucifixo, utì juramenta regulariter fiunt) *uterque jurejurando dicat, quòd nunquàm per carnis copulam una caro effecti fuiſſent.* Ubi notandum, conjuges jurare de abſoluta veritate, alios autem de eo tantùm, quòd illi vera deponant, & fidem mereantur, ſícque habent juramentum *credulitatis.*

Si autem matrona, aut Medici aſſe-

rant

rant, impotentiam, aut saltem illius perpetuitatem satis non probari, sed dubiâ remanere, habet Judex regulam *in cit. c. laudabilem*, ubi Cœlestinus III. ait: in dubio impotentiæ, *sentimus, ut à tempore celebrati conjugij, si frigiditas* (aut aliud impedimentum) *prius probari non posset, cohabitent per triennium*, & experimentum copulæ capiant, adhibitis etiam remedijs.

Ubi *notandum*, quòd licèt aliqui doceant, illud triennium computandum esse à die reclamationis, aut sententiæ Judicis: *communior* tamen sententia illud numerat à die primæ copulæ attentatæ ita, ut si per duos jam annos conjuges eam probârunt, sufficiat unum adhuc annum expectare. Narrat quidem Ludovicus de San Ivan, apud Caram. *l.* 3. *Theol. fund. n.* 3820. per sententiam Rotæ, à Paulo V. confirmatam, conjugibus duobus nobilis sanguinis, qui per triennium jam cohabitârunt, admissum fuisse aliud triennium, in cujus fine uxor restitutâ potentiâ feliciter concepit. Sed nesciuntur particulares circumstantiæ, quæ in illo casu Rotam movêre. Cæteroquin à *communiori* recedendum non videtur, cùm prudenter concludi possit, copulam esse naturaliter impossibilem, cujus per

conti-

continuum triennium non habetur exemplum. Aliud est de Impuberibus, de quibus *infrà N.* 358.

Id tamen non nego, in casu maleficij etiam post lapsum triennij concedi posse tempus aliquod ad probandam copulam: quia posset contingere, quòd actâ pœnitentiâ de peccatis, & continuatis Exorcismis, *fortè placeret DEo, qui matrimonij fuit institutor, & auctor, ut* tandem *opus matrimonij consummarent. c. fin de frig. ubi* etiam post 8. matrimonij annos ulterius adhuc tempus concessum fuisse legitur. Engel *l. 4. tit. 15. n. 6.*

342. Dixi suprà *N.* 340. in Responsione: *in casu, quò ambo fatentur impotentiam:* dum enim conjuges manent in contradictorio, unò eorum asserente impotentiam, propter quam matrimonium consumari nondum poterat, altero utrumque negante: si conjux potens *statim in ipsa novitate post mensem, aut duos proclamaverit*, & probaverit impotentiam *per rectum judicium* (id est per suum, & septimæ manûs juramentum secundum *superiùs* dicta) separanda est ab impotente ex *c. 1. de frig.* maximè, si illa ostenderit, se esse adhuc virginem per signa certa, aut verisimilia, quò casu vir nihil efficiet

ciet, etsi contrarium jurare vellet, inquit Sanchez *l. 7. d.* 109. *n.* 19. & alij.

Si verò post longius conjugij tempus primùm reclamet, habet præsumptionẽ contra se ex *cit. c.* 1. *defrig. quia si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? citò enim, & in parvo tempore scire potuit, si*, (alter conjux) *secum coire potuisset.* Nisi ergo rationem adducat de dilata reclamatione contra matrimonium, aut per signa physicè certa probet impotentiam, vel moraliter saltem evidentia (sed additò juramentò septimæ manûs per dicta *N. præced.*) remitti debet à Judice ad experimentum triennale. Cum alijs Reiffenst. *4. t.* 15. *n.* 55.

343. Probatâ per triẽnium copulâ, si perfici,& compleri non potuit, idque ambo fatentur conjuges, vir (si voluerit) uxorem *etsi non ùt uxorem, saltem habeat, ùt sororem. cit. c. laudabilem*, abstinendo ratione nullitatis matrimonij ab omni actu solutis interdicô. Si verò pars potens separari cuperet ab impotente, & alias nuptias celebrare, exigitur *cit. c.* ut priùs iterum uterque *per justum judicium* deducat impotentiam, id est per proprium, & septimæ manûs juramentum, nec opus est visitatione, aut inspectione, cùm nullibi exprimetur.

Dum

Dum verò vir, & uxor contradicunt invicem, unô, copulam fuisse completã, affirmante, alterô negante, affirmanti acquiescendum est: tùm quia deponit pro valore matrimonij, cujus causa in Jure favorabilis est: tùm quia est in possessione matrimonij, & inde potiorem causam habet per Regulam 65. *I. in* 6. Excipe; nisi altera pars per certa, & indubia signa impotentiam probet, exemplô *c. proposuisti* 4. *de probat.* ubi viro dicente, se potentem esse, & matrimonium consummâsse, sed muliere id negante, simúlque per inspectionem integram suam virginitatẽ probante, Gregorio VIII. visum erat, *quòd juramento puellæ, & testimonio illarũ* 7. *mulierum* (nec tamen tot ordinariè requiruntur) *fides est potiùs habenda.*

344. Ex his omnibus *colliges*, quòd fœmina, si vidua nubat viro, quem deinde impotentem experitur, sed ille negat impotentiam suam, nec per inspectionem convinci valet eô, quòd dubia tantùm impotentiæ signa appareant; vix habeat medium, se dissolutione matrimonij ab illo liberandi: soli enim mulieris assertioni etiam juratæ contra valorem matrimonij non creditur, & cùm fuerit ante matrimonium corrupta à priore marito, gratis admittet visitationem, ut videretur

eam necdum cognitam esse. Sanchez d. 109. n. 15. & 18.

Quid agendum post dissolutionem Conjugij?

345. Quando probatâ impotentiâ declaratur matrimonium nullum, facultatem habet conjux potens alias celebrandi nuptias. *Si dixerit mulier de viro, quòd non possit coire cum ea, si potest probare per justum judicium, quòd verum sit, accipiat alium. c. 1. xxxiii. q. 1.* & alibi sæpè, patétque ex eo, quòd stante nullitate matrimonij conjux potens sit omninò liber. Ille autem, qui *absolutè* impotens est, cœlebs manere debet: *Vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge. c. requisisti. 2. caus. & q. citt.* quia frigiditas viri perpetua facit illum inpotentem cum quacunque fœmina coëundi.

Dixi: *qui absolutè impotens est*: si enim respectivè tantùm ad hanc v. g. nimis arctam fœminam impotens est, non impeditur ad ducendam aliam, quam cognoscere potest, quia latiore vase prædita est. Ex quo *constat*, quòd, cùm impotentia maleficij sit plerúmque respectiva, ùt cum Scoto 4. d. 34. q. un. notant *DD. communiter*, possit ita impotens aliam ducere.

346. *Quid* verò agendum, si impo-

potens post dissolutum matrimonium comperiatur deinde potens factus? *Respond. I.* Si impotentia illius ope dœmonis, vel per miraculum allata erat, non est restituendus priori conjugi: impotentia enim, quæ ejusmodi tantùm modis tollitur, est perpetua, per dicta §. 2. *suprà*. Idem est, si impotens factus quidem potens est, sed non sine graviori infirmitate, & periculo vitæ, licèt sanus tandem evaserit: quia & ille laboravit impotentiâ perpetuâ ex dictis *loc. cit.* Idem *item* est de ea, quæ habuit impotentiã respectivè ad suum maritum, qui illius claustrũ strictum penetrare non valuit: non enim propterea, quòd deinde invenerit fortiorem, priori restituenda est. Nisi ille alter fuerit similis conditionis, complexionis, & constitutionis corporis cum priore cõjuge: tunc enim si cognosci potuit ab altero, rationabiliter concluditur, quòd etiam â suo marito cognosci potuerit: sícque sequitur, impotentiam fuisse temporalem duntaxat, quæ non dirimit matrimonium: desumitur ex *c. fraternitatis. de frig.* ubi in ejusmodi casu Papa ait: *cùm pateat ex pòst facto, quòd ipsa cognoscibilis erat illi, cujus* (NB.) *simili comiscetur: & ideo inter ipsam, & primum virum dicimus matrimonium extitisse* &c. Vide latè San-

chez *l. c. d.* 93. *&* 99. *n.* 18. Quapropter,

347. *Respond. II.* generaliter, quandocunque legitimè cõstiterit, conjugem, qui per sententiam separatus erat â suo conjuge ratione absolutæ, & perpetuæ impotentiæ, esse naturaliter potentem respectu illius, debet iterum illi restitui, etiam relicto secundo conjuge, cum quo deinde matrimonium contraxerat. Ratio est manifesta: quia hôc ipsô, quòd sit factus naturaliter potens ad cognoscendam suam conjugem, impotentia ob quam separatus erat ab illa, fuit per errorem judicata perpetua, in re verò temporalis duntaxat fuit, quæ non dirimit matrimonium: cùm igitur matrimonium validum fuerit, utique posterius, quod contractũ fuit, nullum est, & conjux priori conjugi restitui debet, textu claro *c. cit. laudabilem. Verùm si ille* (qui ibi frigidæ naturæ fuisse dicitur, & proinde absolutè impotens) *aliam duxerit: tunc hi, qui juraverant, rei perjurij teneantur* (quia scilicet secundum dicta *suprà* ante separationem jurârunt, se esse impotentes) *& peractâ pœnitentiâ cogantur ad connubia priora redire*; quod desumptum est ex *cit. c. requisisti 2. xxxiii. q. 1.*

348. *Ex his colliges* duo: *unum* est, quòd quàmprimùm vir, ex frigiditatis impo-

impotentia canonicè ſeparatus à ſua conjuge, aliam ducit, hoc ſecundum matrimonium ſit authoritate Judicis diſſolvendum: nam vel eſt reverà frigiditatis impotentiâ affectus, vel non? ſi ita: ſecundum matrimonium eſt nullum. Si non: primum matrimonium fuit, & manet validum, quô ſtante ſecundum eſt irritum. *Aliud* eſt, quòd ſententia lata contra matrimonium ex ratione impotentiæ (aut cujusque alterius impedimenti) non tranſeat in rem judicatam, ſeu abſolutam firmitatem non retineat: *ſententia lata contra matrimonium nunquàm tranſit in rem judicatam*, habet Sumarium *c. lator. de ſentent. & re judic.* & conſtat ex alijs *cc. ejuſd. tit.* matrimonium ſiquidem eſt indiſſolubile, & ſemel validum ſemper manet validum: hinc licèt per ſententiam declaretur irritum ratione impedimenti alicujus, ſi tamen â parte rei non exiſtat, ſententia per errorē lata eſt, & matrimonium remanens firmum, eſt reſtaurandum.

§. IV.

Quid de ſenibus, infirmis, hermaphroditis, eunuchis, & in indebita ætate conſtitutis ſentiendum?

349. QUæres *I.* Utrùm ſenes, & in-

firmi sint apti ad matrimonium contrahendum? *Respond. I.* Ex lege quidem *Papia*, & *Julia* non audebant viri post annum sexagesimum, & fœminæ post quinquagesimum contrahere matrimonium: sed Lege illa antiquatâ per *L.* 27. *Cod. de nupt.* & Jus Canonicum, licitum manet matrimonium senibus in quacunque ætate, modò sani sint ad copulã perficiendam, docente id praxi Ecclesiæ, quæ ejusmodi matrimonia admittit. Si verò ita exhausti essent, ut nec cibis, nec medicinis juvari possent ad copulam, utique ex impotentia inepti essent ad matrimonium.

P. Sporer *de matr. n.* 123. adducit Henriquez contrariũ docentẽ, eô quòd in senibus sit impotentia per accidens, cùm semper retineant antea habitam potentiam: addítque, hanc Opinionem sequi multos R.R. saltem post factum, ut videlicet ejusmodi connubia jam contracta, tamquàm invalida dissolvi non debeant, dummodò post triennalem experientiam copulæ deinde castè vivant. Et ego (ait ultrà) in contingentia facti consultus, semel tantùm sic fieri permisi. *Verùm* salvô meliori judiciò, id admittere non auderem ob generale principium, quòd impotentia, undecunque oriatur, dirimat matri-

matrimonium. Et certè impotentia ex maleficio est per accidens tantùm, cùm ligatus retineat potentiam ad alias fœminas, & tamen dissolvit matrimonium secundum *Omnes* claro Jure *in priorib. §§.* à fortiori igitur impotentia senum, cùm sit absoluta, irritat matrimonium. Tùm etiam, quia licèt senium sit accidens aliquod, & obinde impotentia senum sit accidentaria tantùm, nequit tamen dici, eos potentiam antea habitam retinere, sed potiùs illam ex superveniente accidẽte destructam esse totaliter. Idcirco si per triennium copulam perficere non possent, judico cum *communissima*, standum pro nullitate matrimonij; præterquàm, quòd si ex senio orta sit impotentia, per cursum trienij major potiùs erit, quàm ut spes de cessatione illius concipi posset.

350. *Respond. II.* Praxim Ecclesiæ esse, ut infirmi etiam in articulo mortis ad matrimonium admittantur, casu non raro in illis, qui ante mortẽm proles ex concubina susceptas, legitimare volentes, illam ducunt, indéque etiam suæ saluti prospiciunt, dum alias illicitum affectum erga concubinam difficulter deponunt. Id tamen limitant *DD.* in illis, quorum potentia habendi copulam, per vim morbi totaliter destructa foret, quo-

rum propterea matrimonium, si cessante infirmitate, per triennium consumari non posset, dissolvi deberet. Sed antecedēter, seu tempore in infirmitate contracti matrimonij impotentia coëundi præsumitur temporalis tantùm, ùt rectè ex Palao monet Caram *cit. n.* 3814.

351. *Quæres* idem *II.* de Eunuchis? *Respond.* Duplicis generis esse Eunuchos: quidam unô tantùm, alij utrôque testiculô orbati sunt. Et quàm certùm est, primos esse aptos ad matrimonium, quia ad verum semen in copula emittendum unus testis sufficit: tàm certum è converso est, utrôque testiculô carentes, esse ad matrimonium ineptos, quòd verum semen non emittant, sed quandam aquosam tantùm materiã ex confessione Medicorum, quam aliqui *feminalitatem* nuncupant: cùm tamen ad matrimonium requiratur potentia copulæ, de se ad generationem requisitæ, quæ sine vero semine non datur. Ajunt quidem Aristotelem *l.* 1. *de generat. animal. c.* 4. referre quendam taurum immediatè post castrationē coijsse cum vacca, eámque prægnantem reddidisse. Sed alij negant, illum librum esse Aristotelis: ùt ùt sit, multa falsa, & impossibilia continet, inter quæ etiam exemplum tauri illius recensēri debet, inquit Caram. *cit. n.* 3813. Nec

Nec ullum amplius dubium restat de hujus veritate, postquàm Sixtus V. declaravit Hispaniarum Legato: *mandamus, ut conjugia per Eunuchos, & spadones, utroque testiculò carentes, cum quibusvis mulieribus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eósque ad matrimonium quomodocunque contrahendum, inhabiles authoritate nostra declares:* & rationem addidit: *quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, & humorem forsan quemdam similem semini, licèt ad generationem, & matrimonij causam minimè aptũ, effundunt.* Ex quibus patet, matrimonia similium esse aliunde invalida, & non vi prohibitionis Sixtinæ, quæ nil novi statuit, sed quod aliunde certum erat, declaravit duntaxat. Quid verò dicendum dum quis post matrimonium fit Eunuchus, jam dixi *N.* 323.

352. *Quæres III.* idem item de Hermaphroditis, seu utrumque sexum præseferẽtibus? *Respond.* Quandoque unum sexum alteri prævalere, quòd ex judicio Medicorum pendet, & confessione ipsius hermaphroditi, qui dominium unius sexus supra alterum, majorémque illius potentiam in se ipso sentit. Et secundum sexum prævalentem reputabitur vir, vel fœmina per *L. quæritur* 10. *ff. de statu hominum*

minum: quæritur, hermaphroditum cui comparamus? & magis puto ejus sexus existimandum, qui in eo prævalet, juxta quem etiam ille extrinsecùs vestiri solet. Dum igitur sexus unus prævalet, non est dubium, secundum eundem matrimonium contrahere posse, sicque si prævalet virilis, ducere fœminam, si fœmineus, nubere viro. Si verò uterque sexus æqualis est, in illius arbitrio erit, secundum unum vel alterum matrimonio copulari ita tamen, ut antecedenter juret, se non nisi illo sexu, quem elegerit, uti velle, & monent *DD. communiter*, Parochum non debere assistere matrimonio, nisi habito testimoniô dicti juramenti. *Ex quo sequitur*, quòd si post mortem conjugis secundum alium sexum deinde contraheret, validè quidem ageret, cùm supponatur etiam secundum illum potens esse ad copulam, nec reperiatur Jus irritans; sed illicitè ob violatum juramentum.

353. *At quid*, si hermaphroditus secundum sexum debiliorem contrahe-
„ ret, & minùs prævalentem? Non sunt
„ multi anni, inquit Caram. *l. c. n.* 3818.
„ ex quo quidam Clericus gravidus fuit
„ occasio in Italia, ut eruditæ litteræ
„ scriberentur. Et Marchio de Castelfor-
„ te narravit mihi Neapoli, se cognovisse

Gra-

„ Granatæ mercatorem, in cujus domo
„ famulus ab ancilla fuit gravidus. Erant
„ hermaphroditæ; & quis dubitat, quòd
„ vestes illis secundum sexum prævalen-
„ tem fuerint determinatæ. Cùm igitur
ex his exemplis constet, non tantùm po-
tentiam coëundi, sed etiam generandi
dari in sexu minùs prævalente; in ta-
li casu non videtur, cur matrimonium
in illo non esset validum, cùm ad valorē
aliud non requiratur, quàm potentia
perficiendi copulam. *Nec* obstat, quòd
prævalente sexu virili reputetur vir, non
fœmina, sicque si secundum debiliorem
sexum fœmineum nuberet viro, matri-
monium consisteret inter virum, & virū,
quod absurdum est. Contractus *siquidem*
matrimonialis est naturalis, non mora-
lis, & ideo non debet quæri, an ille her-
maphroditus censeatur vir, sed an sit fœ-
mina, id est, an possit munus fœminæ su-
stinere in coitu.

354. *Quæres IV.* Utrùm in ætate
indebita subsistat matrimoniū? *Respond.*
inc. 2. de desponſ. Impub. Nicolaus Papa
districtiùs inhibet, *ne aliqui, quorum uter-
que, vel alter ad ætatem, Legibûs, vel Ca-
nonibûs determinatam, non pervenerit, con-
jungantur*, quam inhibitionem esse non
tantùm prohibitivam, ne licitum sit ma-

tri-

trimonium, sed etiã irritativam, sequentia *cc. ejusd. tit.* probant, ùt *c. attestationes.* 10. ubi ille, qui antequàm ad annum decimum quartum perveniſſet, à muliere quam duxit, receſſerat, ab impetitione illius, quâ eundem rehabere voluit, abſolutus eſt, & ad alia vota utrique data licentia tranſeundi.

Sed qui ſunt anni nubiles? *Reſpond.* eſſe annos pubertatis, quam (*regulariter loquendo*) *ex annis existimant, id eſt, eum eſſe puberem, qui* 14. *annos implevit, quamvis tardiſſimè pubeſcat. c. pubere s. eôd.* fœminam verò, quæ eſt 12. annorum.

355. *Ex quo ſequitur*, antea nequaquàm contrahi poſſe *regulariter loquendo.* Non quidem ex Jure naturæ: quàmvis enim non adeſſet potentia perficiendi copulam, quia tamen creſcente ætate advenire ſolet, impotentia temporalis tantùm cenſenda eſt, quæ non dirimit matrimonium perdicta *N.* 320. Sed Eccleſiaſticô, quod pro ea ætate inhabilitatem conjugij induxit *regulariter loquendo.* Quapropter Infideles validè contrahunt in impubertate, niſi illorum Legibûs prohibitum ſit: & cum fidelibus hac in parte diſpenſari poteſt per *c. cit. ubi non eſt.* 2. ubi præmiſſa prohibitio ne matrimonij ante pubertatẽ, mox limitatur: *niſi fortè*

ali-

aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote bonô pacis, talis conjunctio toleretur, quem in locum advertunt *DD.* cùm in eo non exprimatur, ad quem pertineat tolerantia ejusmodi matrimonij, , eam concedi Episcopo per satis probabilem doctrinam Canonistarum, quòd, dum in Jure conceditur dispensatio, nec additur, cui concedatur, concessa sit Episcopo, qui tamen in proposito hâc licentiâ passim non utetur, sed *urgentissima necessitate interveniente*, ùt textus dicit: & quô magis defuerit à pubertate, eô majorem requiret causam, quia magis receditur à Jure communi.

356. Addidi semper suprà: *regulariter loquendo.* quia enim non rarò contingit, potentiam ante dictos annos reperiri ad copulã (plura exempla vide in Sanchez *l. 7. de mat. d.* 104. *n.* 29.) præsertim, dum quis est pubertati proximus: Jus ipsum admittit matrimonium ante pubertatem, dum in aliquibus *ætatem suppleviſſe malitia videtur. c. de illis. eôd.*

Sed quid est, malitiam supplere ætatem? *Respond.* in *cit. c.* malitia sumitur pro potentia perficiendi copulam; ideo enim in illis dicitur malitiam suppleviſſe ætatem, *quòd ita fuerint proximi ætati, quòd potuerint copula carnali cõjungi.*

Ast

Aſt in *c. fin. eôd.* dicitur, matrimonium fuiſſe nullum, *cùm vir deſponſavit eandê* (necdum 12. annos habentem) *& ætatem in ea prudentia non ſupplebat.* Ex quo utroque loco poſt alios multos deducit Sanchez *cit.* 21. ut malitia ſuppleat ætatem, requiri, ut impubes ſit aptus ad copulam, & ſimul habeat diſcretionem, & uſum rationis adhoc, ut ſciat, quid agat, & quantam obligationem pariat matrimonium, quod inter negotia graviora recenſetur. Judex igitur attentè conſiderabit, an in impubere hæ duæ qualitates reperiantur, antequàm licentiam (ſine qua non licet) tribuet ineundi matrimonij, quam tamen Caramuel per 5. años ſui Vicariatus generalis Pragenſis, & per alios 15. ſui Epiſcopatûs nunquàm dedit, & ut non detur, alijs ſuadet *loc. cit. n.* 3815. Potentiam autem coëundi colliget, vel quia impubes fornicatus jam eſt, vel ex conſtitutione, complexione, corpulentia &c. de quo clarè Sanchez *cit.*

357. Quia verò potentia coëundi ante 14. annos in viris, & ante 12. in fœminis contingere ſolet, ante eos etiam vocari poſſunt *puberes*, licèt reſpiciendo annorum numerum ſint impuberes, per *c. cit. puberes.* 3. *Puberes à pube ſunt vocati id eſt, à pudentia corporis* (lanugine circa veren-

verenda) *nuncupati*, *quia hæc loca primò lanuginem ducunt . . . . certum est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest. Et puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt*, seu post infantiam intra septimum, & duodecimum annum.

358. *Tria* adhuc restant. *Unum* : an ad pubertatem requirantur 12. & 14. anni completi de momento ad momentum ad effectum valoris matrimonij) *Respond.* non debere quidem deesse notabilem partem, imò nec diem integram, completam tamen de momento in momentum non requiri, sed sufficere diem ultimam pro anno pubertatis inceptam (quidquid dicat Reiffenst *ad tit. 2. lib. 4. n. 13.*) ut proinde dies inchoata pro completa habeatur. Vide dicta olim *N.* 50. de complemento anni probationis ad professionem religiosam.

Alterum : Quid agendum, si pubes contrahens matrimonium, experiatur, se impotentem ad copulæ consumationē? *Respond.* eam sententiam jam invaluisse, quæ dicit, expectandam esse plenam pubertatem, quam fœminæ habent annō 14. completō, & viri annō 18. & hoc ideo, quòd antecedenter non præsumatur impotētia, nisi ex debilitate naturæ multùm juve-

juvenis: proinde æquum sit expectare plenam pubertatem, in qua natura ampliùs solidatur, & competentes vires inducit. Immò si post plenam pubertatem adhuc deficiat ea potentia, eadem sententia vult, sumendum esse experimentum triennale, modò suprà *N.* 341. explicatò: nam ante pubertatem plenam præsumitur impotentia ex debilitate naturæ tantùm, & ætatis, non ex naturali constitutione: ut igitur pateat, an ea non ex defectu ætatis, sed ex naturali constitutione oriatur, probatio triennij post plenam pubertatem necessaria est, post quam non ampliùs currit ratio debilis ætatis. Id nihilominus *advertendum*, quòd si notaretur certa in aliquo impotentia v. g. defectus membri, testiculorum &c. nullum tempus sit expectandum, sed cõjugium mox dissolvendam in quacunque ætate; cùm ejusmodi impotentia per nullam ætatem cesset.

Tertium denique: an matrimonium impuberum nihil omninò operetur? *Respond.* operari effectum sponsalium, inquantùm contractus impuberum, qui non potest matrimonium esse, sponsalium vim habet *c. fin. cit.* & ideo etiam publica honestas ex eo oritur, tanquàm ex sponsalibus *c. un. de despons. impub. in 6.*

ubi

ubi etiam tale matrimonium dicitur *interpretatione Juris sponsalia de futuro*, nisi contrahentes id excipiant.

§. V.

Resolvitur casus de impedimento Impotentiæ.

EXposuit Hermes Confessario, quòd cum Falconia, quam nuper in uxorē duxerat, ob quendam languorem, quem in actu conjugali experitur, matrimonium consummare nequeat. Nec is languor novus est, sed eundē etiam ante matrimonium senserat, dum à sua uxore, adhuc ùt sponsa, sæpiùs usum corporis habuit. Confessarius non tantùm spiritualia adhibuit remedia, ùt benedictiones, Exorcismos: visitavit lectum &c. Sed Hermetem ad Medicum etiam ablegavit. Cùm verò tentatis omnibus languor ille præcaveri non potuisset, Confessarius tandem inhibuit, ne actum conjugalē ulteriùs probaret. Verùm Falconia otiosi impatiens mariti, causâ ad Consistorium deductâ, & probatâ impotentiâ, facultatē obtinuit alteri viro nubendi. Nupsit ergo illa, Hermes verò clericali statum amplexus est. Contigit autem post annos aliquot, quòd Hermes ex antiqua familiaritate liberiùs agens cum Falconia, eam sine languoris obstaculo perfectè cognoverit. Quid judicij de præterito, & quid agendū de futuro?

359. *Respondeo*, Hermetem potuisse licitè copulari Falconiæ non obstante, quòd priùs non potuerit propter supervenientem languorem perficere copulam, indéque fors dubitaverit de sua potentia. Ratio solida est, quòd, cùm potentia ad coitum sit à natura cuivis indita, eam quivis in se præsumere potest, donec certò non constat oppositum, quæ certitudo non habetur per purum dubium: contingere enim potest, aliquem ob quandam indispositionem accidentalem non esse sufficientem ad perficiendam copulam, quæ tamen indispositio successu temporis cessat: unde durum nimis foret, Hermetem propter dubiam impotentiam prohibere à matrimonio, & ad vitâ cœlibem adstringere. Verùm quidem est, eum, qui dubitat de consanguinitate inter se, & sponsam, obligari priùs ad inquirendam veritatem, ne matrimonium periculo nullitatis subijciat: si tamen certus de consanguinitate reddi nequeat potest abjectô dubiô sponsam ducere. At quia dubitans de impotentia, nequit de ea certificari, nisi per probationem repetitam copularum, quæ ante matrimonium non licêt; non videtur, cur ille, tanquàm carens mediô ad habendam de impotentia certitudinem, non posset depositô dubiô

biô matrimonium inire. Hinc meritò P. Elbel *de matrim. n.* 264. redarguit Confessarium, qui noluit ita dubitantem immediatè ad matrimonium admittere.

360. Benè fecit Confessarius, tùm spiritualia media adhibendo, tùm Hermetem ad Medicum remittendo: Hermes siquidem videbatur laborare impotentiâ maleficij, non verò naturalis frigiditatis, aliàs non appetijsset toties coitũ imò nec virgam ad coitum erigere sæpiùs potuisset per ea, quæ de signis naturalis frigiditatis, & maleficij ex testimonio Medicorum tradit Sanchez *l. 7. de matr. d.* 93. *n.* & 5.6. Et quàmvis videatur, Hermetem fuisse à maleficiô impeditum, potuit tamen Medicus in auxilium vocari ex dictis *N.* 329. Maximè autem id verum videtur, si solitô major arctitudo in Falconia advertebatur, ad quam superandam non sufficit quivis calor erigens virgam, nisi constanter duret, nec remittatur ad quamlibet penetrationis resistentiam: quô in casu utique Hermes Medicinîs fortificari potest: immò & Falconiam instrumentô aliquô laxari opus erit per dicta *NN.* 325. & *seq.*

361. Si media adhibita nullum effectum causârunt, nec per experimentum triennale ad consummationem copulæ

deveniri potuit, neceſſe habuit Confeſſarius interdicere ulteriorem coitum, aliósque actus ſolutis interdictos eô, quòd moraliter conſtiterit, ex impotentia incurabili matrimoniũ eſſe nullum. Quàmquàm cùm dubium ſit, an Hermetis impotentia non proveniat ex maleficio poſſit experimentum copulæ ultra triennium admitti ſecundum dicta *N.* 341. *in fine.*

362. Similiter benè fecit Falconia ad Judicium appellando, ſi cohabitare noluit Hermeti, tamquàm ſoror fratri: jus enim habuit, ſe à putativo marito liberandi (cui nullô vinculô ligata erat & ſibi de alio providendi; quod adeò verum eſt in caſu impotentiæ, ut ille etiam, qui ante matrimonium noverat ſui conjugis impotentiam, adhuc non obligetur deinde ad retinendum illum: quia cùm non obſtante ea ſcientia contrahere voluerit matrimonium, séque obligare, tanquàm verus conjux, non autem, tanquàm frater, aut ſoror, hôc ipsô, quòd deinde reſciat, ſe nullum matrimonium contrahere potuiſſe, ab omni mutua obligatione liber manet, & ad publicam putati vinculi diſſolutionem, ſeu potiùs nullitatis declarationem agere poteſt. Sanchez *l. 6. d.* 97. *n.* 12. cum *veriori DD.* ſententia, qui

qui propterea illud ex *c. consultationi. 4. de frigid.* ubi Lucius III. dicit : *licèt incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus* (impotentibus scienter) *contrahat matrimonium* : *Romana tamen Ecclesia consuevit in similibus judicare, ut quas tanquàm uxores habere non possunt, habeant ut sorores*, per quod videtur obligatio induci ad retinendum conjugem, qui antecedenter sciebatur impotens : intelligunt pro eo casu tantùm, quô quis scienter contrahit cum impotente non intendendo matrimonium, sed alium tantùm societatis contractũ celebrare, ad obsequia mutuò præstanda (quod fieri posse dixi *N.* 321.) tunc enim Ecclesia judicat, & concedit cohabitationem conjugum fraternam, nisi periculum incontinentiæ separationem urgeat. Cœterùm autem nulla obligatio ex matrimonij vinculo oritur hôc ipsô, quòd *ibidem* dicatur : *quas tanquàm uxores habere non possunt.*

363. Certum est hôc ipsô, quòd Hermes cognoverit deinde Falconiam perfectè, impotentiam fuisse temporalem tantùm, & per consequens matrimoniũ, quod reverà validum erat, per errorem declaratum invalidum.

Ergóne Falconia separari debet à secundo marito, cui nupserat? *Respondeo*,

Quantum ad forum internũ nimis clarũ esse, Falconiam debere separari à secundo marito, cùm inter illam, & illum non sit ullum reale matrimonium: aut saltem, si separari nequit propter mox dicenda, simúlque sciat nullitatem sui matrimonij non audet reddere, minùs petere debitũ à secundo conjuge, etiamsi gravissimè ad id cogeretur, ùt de casu cujuscunque sublatentis impedimenti, quod probari nequit, verissimè docetur ex *c. inquisitioni 44 de sent. excommunic.* Vide dicta aliquando *N.* 266. Quantum verò ad forum externum, utique non concedetur separatio illus matrimonij, cùm prolatâ sententiâ nullitatis matrimonij inter Hermetem, & Falconiam, stet præsumptio pro valore secundi matrimonij Falconiæ. Ut ergo illa licentiam obtineat discedendi ab altero conjuge, indéque suæ satisfaciat conscientiæ, probare debet impotentiam Hermetis fuisse temporalem tantùm eô, quòd perficiendo copulam compertum sit, illam cessâsse.

Ast quâ viâ probabit copulam? *Respond.* testes dari non posse, quia nullus interfuit, dum Hermes cognovit Falconiam; nec alia probatio legitima, & concludens excogitari potest, nisi per juratã utriusque confessionem, quæ in re tanti pon-

ponderis, & difficillimæ unà probationis sufficit per doctrinam Mascardi *de prob. concl.* 1365. *n.* 1. quòd nempe eam probent testes, etiam aliàs inhabiles. Et si secundum Sanchez *d.* 99. *n.* 13. etiam fœminæ (quam aliquis fornicariè cognovit) creditur, fuisse ab illo cognitam, ut exinde concludatur, illum non esse frigidæ naturæ, & priori uxori, à qua ratione impotentiæ frigiditatis separatus fuit, restituendum; utique etiam in proposito casu confessioni amborum conjugum fides negari non debet de consumatione actus conjugalis.

364. Factâ separatione Falconiæ à secundo marito, *éstne* restituenda iterum Hermeti, qui jam Sacris initiatus est? *Respond.* Illa volente tenetur Hermes eam rehabere, cùm continentia Clericalis nequeat, ùt patet, illi præjudicare. Sed si solitaria sine viro manere voluerit, nõ potest eam Hermes cogere, ut ad illum redeat; quia tenetur ratione Sacrorum Ordinum ab uxore abstinere, dum illa ejus consuetudine uti non desiderat. Sanchez *d.* 100. *n.* 39. Caram. *l. c. n.* 3825. Et *Confirmatur* per dicta *de Impedim. Ordinis*, quòd Sacrum Ordinem, dummodò non sit coactè, aut ex gravi metu susceptus semper sequatur præceptum continen-

tiæ, inquantùm ſine præjudicio alterius ſervari valet. Ob quam etiam rationem, dum Hermes ad Falconiam, ſe petentem, rediverit, debitum quidem reddere, non tamen petere audebit.

✠*********⊙******✠

Clandeſtineitas.

§. I.

Explicatio, & Impedimentum Clandeſtineitatis.

365. DUplex legitur in Jure ſolemnitas mtrimonij, ex cujus defectu provenit clandeſtineitas: una *accidentalis*, ſeu *extrinſeca*, conſiſtens in tribus Denuntiationibus, ad inquirendum, ſi quod inter ſponſos latet, impedimentū, præmitti ſolitis. Altera *intrinſeca*, & *ſubſtantialis*, quæ importat præſentiam Parochi, & Teſtium. Sine prima eſt matrimonium *ſecundum quid*, ſine altera *ſimpliciter clandeſtinum*: & ideo de ſecunda tantùm tractabo, non de prima, cujus omiſſio non irritat matrimonium.

Et quia ſolenitas ſubſtantialis à Tridentino introducta eſt, ad eam debitè intelligendā, ad illud attendi debet, juncta explicatione quorumdam ſive authenti-

/ca,

ea, sive ex probatis Authoribus, & ratione desumptâ.

366. Illud igitur *Sess. 24. c. 1. de Reform. matrim.* agnoscit quidem, matrimonia clandestina, seu sine præsentia Parochi, & testiũ olim valida fuisse, *nihilominùs S. DEi Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit*, ùt apertè constat ex Decretis Hormisdæ Papæ *c. 2. xxx. q. 5.* relatîs. *Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat.* quod *ibidem* etiam in alijs *Canonib.* prohibetur.

Verùm cùm Sancta Synodus (pergit ultrà Trident.) *animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse: & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugijs ortũ habent: præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt:* cùm enim matrimonium, tanquàm factum contingens, non præsumatur, sed probari debeat, probari autem non possit, si occultum sit, & sine testibus contractum; quod *ij, qui ea contrahunt, ab Ecclesia non sunt aliquatenus* (ad simul permanendum) *compellendi*, meritò statutum fuit olim *c. 2. de clandest. desponsat.* nec *pro priori conjugio, quod Judi-*

ci incertum est (quia occultum) *sententia ferri* potuit, ùt notat Gratianus post *c. 9. caus. & q citt.* & hinc secutum fuit, quòd conjuges non attentô matrimonij vinculô, ad alia vota transeuntes *in perpetuo adulterio* vivebant. Volens idem Trident. salcem ad radicem intolerabilis ejusmodi, & pessimæ sequelæ ponere.

367 Clandestinitatem impedimentis dirimentibus per sequentia adnumeravit: *Qui aliter, quàm præsente Parochô, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobûs, vel tribûs testibûs matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullus esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat.* Per quod tamen Concilij PP. authoritatis, quam habent, limites minimè transgressi sunt, quasi quidquam circa rationem Sacramẽti matrimonij innovantes; sed contractum tantùm matrimonij, qui, ùt quivis alius, jurisdictioni humanæ subijcitur, si absque dicta solennitate celebretur, irritârunt, quô factô impediêrunt, ne ratio Sacramenti, quæ legitimo tantùm, & approbato contractui à Christo añexa est, ad illum sequatur. Eô modô, quô ille impedit Sacramentum Eucharistiæ, qui panem,

nem, & vinum corrumpit, quæ sunt materia illius. Engel *l.* 4. *t.* 3. *n.* 10. ex *communi, & certa* Catholicorum.

368. Perspecto tam aperto textu Cõcilij, patulum est, præsentiam Parochi, & testium esse de forma matrimonij, quod sine illa non tantùm implicitè per verba: *omninò inhabiles reddit*, sed etiam explicitè annullatum est ibi; *prout eos præsenti Decreto irritos facit*, ut proinde nulla ignorantia suffragetur ad evincendum valorem matrimonij aliter contracti per tradita à DD. *de legibus irritativis actuum*, & adnotavi nuper *de Impedimento Criminis*. Quàmvis verum sit ab ignorantia invincibili desumi titulum excusationis à peccato pro foro interno per principia generalia *in materia de peccatis*.

369. Denique, ut evitetur lis illa; utrũ Leges Pontificiæ, vel Conciliares obligent statim post solitam Romæ, aut in loco Concilij publicationem? & ut excusationes præcludantur de inscitia Decreti tam salutaris; non solùm Locorum Ordinarijs præcipitur, *ut quàmprimùm potuerint, curent hoc Decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum Diœcesium Parochialibus Ecclesijs; idque in primo anno quàm sæpissimè fiat, deinde verò, quoties expedire viderint;*

derint; ſed declaratur inſuper: *ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos.*

370. Viſâ, ad verbum exſcripta Conſtitutione Trid. reſtat ea dubia, quæ certè non pauca emerſêre, aut emergere poſſent, *in ſeqq.* §§. declarare.

§. II.

Ea, quæ Parochum, & teſtes concernunt, dilucidantur.

371. CErtum eſt, nomine Parochi nõ tantùm venire eum, qui ex beneficio Parochiali talis eſt, ſed etiam Papam reſpectu omnium Chriſtianorum; Epiſcopum reſpectu ſuorum Diœceſanorum; Capitulum Sede vacante, & Vicarium Generalem reſpectu eorundem; Abbates exemptos, omnésque eos, qui jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinent, reſpectu ſui Territorij; Legatos Apoſtolicos reſpectu Provinciæ, ad quam miſſi ſunt: Vicarios curam Parochialem exercentes, tàm temporales, quàm perpetuos: Denique Cooperatores, quibus in genere cura animarum committitur, ùt de his poſtremis conſtabit infrà agendo *de licentia data aſſiſtendi.*

Et

Et cùm Conciliũ simpliciter requirat Parochum, nullam singularem qualitatem desiderando in illo, nec aliquem propter aliquod vitium excludendo, est *recepta, & communis* sententia Canonistarum, sufficere Parochum excommunicatum, suspensum, interdictum, irregularem &c. dummodò non sit privatus suô officiô; quia non obstantibûs dictis pœnis est, & manet verus Parochus. Sufficere *item* illum, qui nondum est Sacerdos, cùm & talis possit esse Parochus. *Tandem* etiam illum, qui à parte rei Parochus non est propter vitium occultum (e. g. quia simoniacè promotus est) sed communi errore creditur ùt talis; propter dicta *NN.* 54. & 62. ex *L. Barbarius*: sive habeat titulum coloratum, sive non, sed sit intrusus, ùt multis *citt.* docet P. Pichler l. 4. *de clandest. desponſ n.* 18 & probabile esse judicat Reiff *ibid. n.* 78. eô, quòd grandia mala quoque sequerentur, si acta à Parocho intruso non valerent; quia enim creditur esse legitimus, à Parochianis requiritur pro administratione Sacramentorum, & assistentia matrimonij, quæ si ab illo invalidè præstarentur, omnia matrimonia, bona fide contracta, deberent declarari irrita, absolutiones multæ Sacramentales forent inanes &c. cùm igi-

tur

tur ob hujuſcemodi inconvenientia Jus, & Eccleſia ſuppleant defectum juriſdictionis in Parocho, qui habet titulū coloratum, rationabiliter etiam idē concluditur de Parocho intruſo *arg. c. inter alia* 31. *de ſent. excommunic. unde Jus prodijt, interpretatio quoque procedat*, & ubi eſt eadem ratio, eadem etiam eſt Legis diſpoſitio, *per vulgaria.*

372. Debet nihilominus eſſe proprius Parochus contrahentium, ùt patenter liquet ex contextibus Tridentini *cit.* non quidem amborum contrahentium, ſed alterutrius, id eſt ſponſi, vel ſponſæ: hôc ipſô enim, quòd matrimonium ſit contractus individuus, & indiviſibilis, nec poſſit à ſponſo e. g. ſolo contrahi, ſed ab illo, & ſimul à ſponſa, qui aſſiſtit matritrimonio unius, aſſiſtit etiam matrimonio alterius.

Ubi autem aſſiſtere debet Parochus proprius? *Reſpond.* Quamquàm Parochi attendere debeant, quòd Dionyſius Papa ſtatuerit *c. 1. xiii. q. 1. Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus, Parochias, & Cæmeteria eis diviſimus, & unicuique Jus proprium habere ſtatuimus, ita videliçet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut Jus invadat, ſed ſit unuſquiſque ſuis terminis contentus* &c. & ideo, qui in alte-

rius

rius Parochia matrimonio ſui Parochiani abſque licentia illius Parochi *ſolenniter* aſſiſterat, à culpa immunis non eſſet, & puniri poſſet. Nihilominus validè aſſiſteret, cùm Concilium circa locum aſſiſtentiæ nihil ſtatuerit: & aliàs ubicunque aſſiſtens Parochus teſtari poteſt de contractu celebrato, quod ſufficit menti, & fini Tridentini.

Dixi: *ſolenniter:* Ex ſententia equidem P. Reiff. *l. c. n.* 66. Sanchez, & alios citantis, licitè etiam (niſi in Diœceſi aliqua ſingulariter prohibitum exiſtat) Parochus in aliena Parochia ſuorum matrimonio privatim v. g. in domo, & ſine ſolemnitatibus contracto, non petita Parochi loci illius licentia aſſiſtere poteſt.

373. *Sed* quid requiritur, ut quis ſit proprius alicujus Parochus? *Reſpond.* ut in illius Parochia figat verũ, vel quaſi domicilium, nec ſufficere locum originis, ſeu ut aliquis ſit in Parochia natus. *Proprius Parochus eſt, in cujus Parochia contrahentes habitant tempore, quò matrimonium contrahitur,* declaravit S. Congregatio: nam *Cives quidem origo* (ſeu nativitas) *manumiſſio, adoptio: Incolas verò* (& Parochianos) *domicilium facit. L. Cives. Cod. de Incolis lib.* 10. & ampliùs tradunt Canoniſtæ *ad tit. de Parochijs.*

Porrò

Porrò *domicilium* constituitur, dum quis alicubi habitat cum animo perpetuò ibidem manendi, licèt contingat, eum subinde locum mutare, cùm mutatio ea sit de se cuique libera. *Quasi domicilium* verò, dum quis alicubi habitare incipit cum intentione majori anni parte ibidem residendi, ut faciunt Scholastici, Lectores, Judices, Famuli, Mercatores &c. quos ob studium, aliáque negotia longiùs in aliquo loco morari contingit, licèt animum ad propria revertendi retineant.

374. *Ex quibus* pro praxi *deduces 1.* Qui sub duabus Parochijs domum possidet, & in utraque æqualiter habitat, vel quasi æqualiter (id est non à potiori in una) posse coram alterutro illorum Parochorum copulari, quia utriusque Parochianus censetur, *arg. cùm quis. de sepult.* ibi. *qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque* &c. Si verò in una tantùm habitat constanter, & ad locum alterius domûs dum, & quando tantùm accedit recreationis causâ, aut ut ruralia exerceat, vel illis interfit, non efficitur Parochianus loci illius, nec potest ab illius Parocho copulari, *arg. c.* 1. *Is, qui, eod.* ubi statuitur, talem, si ibi moretur, non in illo loco, sed in sua Parœcia sepeliendum esse, nisi ante mortem aliud dispo-

ſpoſuerit: in tali enim loco non habitare, ſed hoſpitari potiùs æſtimatur. *L. 1. §. habitare ff. de ijs, qui dejecerunt*; declaravítque S. Congregatio apud Garziam *de beneficijs p. 5. c. 7.* matrimonium coram Parocho, ſub cujus diſtrictu contrahens recreationis tantùm causâ moratur, non animô domicilij conſtituendi, non valere.

II. Qui domum habet in confinibus duarum Parochiarum, attendendum eſt, in qua ſit porta, ſeu additus ad domum, ſi verò ex parte utriuſque Parochiæ ſit additus, reflexio facienda eſt ad principaliorem, & magis frequentatũ; quia ex aditu principaliori aliquis Parochianus conſtituitur. Juriſtæ *ad tit. cit. de Parochijs.*

III. Qui ex honeſto fine alicubi moratur, animô longiori anni tempore ibidem permanendi (ùt exemplificavi de Studioſis &c.) *nec ſtatim poſt matrimonium revertendi*, validè coram Parocho loci illius contrahit, etiam prima die adventûs ſui ad illum locum, quia prima mox die acquiritur quaſi domiciliũ per *DD. communiter.* Et conformiter ad hanc receptã doctrinam æſtimo etiam puellam, quæ educationis gratiâ ad Monaſteriũ reponitur, longiori tempore in ea permanſura, validè copulari à Parocho loci, in quo Aſceterium illud ſitum eſt, licèt domici-

lium paternum animô non deserat, sed suo tempore ad illud reverti meditetur: nihil enim deest in tali casu ad rationem quasi domicilij, nec percipio disparitatẽ inter ejusmodi puellam, & juvenem, qui causa studij alicubi degit. Attamen Clericatus *in Discordijs forens. civilib. Discor.* 39. oppositum resolvisse videtur de puella per triennium in Monasterio manente, quam coram Parocho paterni domicilij copulandam asseruit, quod in eo sensu verum est, quòd possit etiam coram Parocho paterni domicilij copulari, cùm illud domicilium per ingressum ad monasterium non deseruerit, sed accidentaliter tantùm mutaverit.

Notanter, & consultò excepi suprà: *nec statim post matrimoniũ revertendi;* cùm enim fraus, & dolus nemini patrocinari debeant, *per vulgaria*, & quæ in fraudem Legis fiunt, ipso Jure rescindi debent. *L. hoc modô* 64. *ff. de Condit. & demonst.* concluditur, eos, qui ideo tantùm ad alium locum se conferunt, ut coram illius Parocho copulentur neglectô proprio Parochô, sed post matrimonium mox recedere volentes, sicque antecedens domicilium minimè deserentes, invalidè agere, etiamsi per unum, aut alterum mensem ibidem morati fuissent. Vide Clericatum

catum *cit. Discordiâ* 52. ubi hujusmodi casum factum per extensum deducit, additis etiam Decisionibus Rotæ. Pulchrè Cornitolus apud Eundem: *Jus Parochiæ improba fide, & per scelus in fraudem nemo assequitur. Quid* de Vagis, militibus &c. dicendum sit, vide, quæ dico *infrà* §. *seq.* ex professo.

375. *Quæres I.* Quæ assistentia Parochi sit necessaria? *Respond.* moralis, & humana, nec sufficit merè physica, quam etiam dormiens habet: Parochus siquidem ex mente Tridentini adstare debet, ut testari valeat de matrimonio contracto, quod utique facere nequit, si moraliter non assistat, seu si nesciat, quid coram se agatur.

Quia verò testimonium de matrimonio ferre potest, licèt non consentiat, aut dolô circumventus, vel vi detentus involuntariè assistat, valet matrimonium coram illo; *quia non requiritur ejus consensus, sed illorum tantùm, de quorum agitur conjunctione*, ùt advertit Rota *in Neapolitana matrimonij* die 10. Martij 1651. declaravit etiam S. Congregatio apud Reiffenst. *l. c. n.* 108. ex Fagnano, sufficere, si Parochus *intelligat id, quòd agitur, licèt dissentiat, & contradicat.* Idcirco Reverend Domino N. minimè suffragabatur ad effectum

infirmandi matrimonij, sibi aliàs ingrati, quòd objecerit, se non posse testari de illo à duobus contracto, qui inopinatè eũ accesserant, & verbis de præsenti utentes contrahere attentârunt: nam causâ Romam delatâ, decisum fuit pro valore, non obstante, quòd ille Reverend. Dominus advertens, quid sponsi agant, faciem adverterit, oculos claudere, & aures obturare nisus sit, ne videre, & audire posset, quod actu audivit.

Verum quidem est, non deesse *DD.* qui quoque requirunt, ut Parochus, licet dolô, aut vi conductus, vel detentus, ante actualem contractum, verbô saltem moneatur, & quodammodò rogetur ad assistendum; id enim reverentia erga illum postulare videtur. Attamen cùm per verbulum: *rogo ut assistat*, vix salvetur reverentia erga Parochum, qui violenter detinetur: tùm quia omissio reverentiæ, & fraus, vel vis illi illata peccatum tantùm generant (nisi gravis causa excuset) non nullitatem: censeo *multò veriorem* esse oppositam sententiam P. Pichler *hic n.* 24. Concilium enim non aliud exigit, præter præcisam præsentiam Parochi, ut per illum consensus à sponsis præstitus innotescat Ecclesiæ. Et reverà in casu Clericato *l. c. Discord.* 38. nulla præcessit re-

requisitio Parochi, dum sponsus cum spõsa, & testibus de nocte illi obvians, inopinatè hæc tantùm protulerat: *Videat Domine! hæc est mea mulier*, reponente sponsa: *ita Domine, accepto* &c. Et tamen non tantùm ipse Clericatus resolvit pro valore matrimonij, sed S. Congregatio Concilij quoque, desuper consulta, die 11. Maij 1669. rescripsit: *constare de validitate.*

376. *Quæres II.* Quæ licentia sit necessaria, ut alius non Parochus assistere valeat matrimonio? R. licentiam à Parocho, vel Ordinario ad illum effectum concedi posse, visum esse *suprà* ex Tridentino, quod cùm non distinguat de licentia, rectè deducunt *DD.* sufficere quamcunque legitimè datam; *verba enim generalia generaliter sunt intelligenda*, ùt Juristæ *communiter* dicunt ex *c.* 22. *de privil.* ibi *cùm nihil exceperit, & potuerit excipere.* Sufficit ergo licentia quæcunque sive specialis pro aliquo matrimonio determinato, sive generalis, quæ data intelligitur, dum alicui in Parochia sine limitatione, aut exceptione committitur cura animarum, vel etiam administratio Sacramentorum, ùt ex quadam declaratione Cardinalium *probabilior* habet apud Reiff. *l. c. n.* 84. vel dum alicui datur facultas coram quovis cortrahendi.

377. Circa quod tamen tria adnotari debent. *Unum* est, quòd ea licentia non nisi Sacerdoti dari queat: *vel alio Sacerdote*, clarè ait Trid. *cit.* quàmvis *ex dictis* in Parocho ipso Sacerdotium non sit necessarium: ut saltem in alio non Parocho per dignitatem Sacerdotalem suppleatur Officium Parochiale, Pichler *cit. n.* 19. *in respons. ad* 4. non autem obest, quòd Sacerdos ille sit suspensus irregularis &c. sicuti de Parocho dixi *suprà*.

Secundũ, quòd ortô dubiô de data alicui facultate assistendi, dum scilicet aliquis asserit, se ad hunc effectum licentiam habuisse, sed Parochus, vel Ordinarius negat, se dedisse, huic potiùs fides præstari debeat: quia testi, etsi unico, deponenti de facto proprio planè creditur, & ille plenè probat, inquit Clericatus *l. c. Discordiâ* 40. *n.* 4. præsertim, si in Libro matrimoniorum non reperiatur, quæstionatùm matrimonium fuisse de speciali licentia coram N.N. contractum. Cœterùm stante ejusmodi dubio matrimonium nequaquàm mox dissolvendum est, sed si facta inquisitione constare nequeat de data licentia, omnimodè ad laborandum, ut conjuges novo consensu ratificent antecedens matrimonium coram proprio Parocho; cùm enim contingere possit, Pa-

Parochum ex oblivione negare licentiam reverà datam, & eam in libro regiſtratam non eſſe (ùt non rarò contingere videmus) periculum eſſet violandi vinculum matrimonij, ſi conjuges ſperarentur: ex alia parte, dum illud in præſentia proprij Parochi renovant, ſanatur defectus nullitatis, caſu quo licentia in rei veritate defuiſſet. Pro majori ſecuritate cavendũ ſemper, ne ullus aſſiſtat matrimonio illius, qui aſſerit, ſibi univerſaliter conceſſum eſſe ab Ordinario, contrahendi corã quocunque, niſi eam facultatem per ſcripturam authenticam doceat.

Tertium eſt, quòd, qui habet generalem facultatem in aliqua Parochia exercendi curam animarum, aut ad miniſtrandi Sacramenta, vel in ſpecie aſſiſtendi omnibus matrimonijs ſive in perpetuum, ſive ad certum tantùm tempus: poſſit hanc licentiam pro aliquo ſingulari matrimonio alteri concedere, illúmque ſubdelegare, paritate Judicis delegati ad univerſitatem cauſarum, qui ſecundum Jura dicitur habere *Jurisdictionem mandatam* per Gloſſam receptam *in L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata* &c. *Jurisdictionem mandari, quando univerſitas: ſed delegari, quando ſpecies una committitur*, Unde etiam pro actu particulari alium

ſubdelegare poteſt (niſi id ſibi ſpecialiter vetitum noſcat) *L. cùm Prætor. ff. de Judicijs*, ibi: *Is quoque, cui mandata eſt Jurisdictio, Judicem dare poteſt.*

Qui verò non fruitur ea generali facultate, ſed alicui matrimonio tantùm per ſpecialem facultatem aſſiſtere poteſt, non valet alterum ſubdelegando, licentiã aſſiſtendi illi dare; *cùm non niſi delegatus à Principe cauſam alij valeat delegare. c. cùm cauſam. 62. de appellat.* Vide Canoniſtas *ad tit. de Offic. & poteſt: Judicis deleg.* & ad præſens ex La Croix, & alijs notat P. Elbel *de matrm. n. 285.* Atque juxta hanc diſtinctionem conſtat, an Capellani, ſeu Cooperatores poſſint alteri dare facultatem aſſiſtendi.

378. Grave adhuc reſtat dubium, an Ordinarius poſſit pro aliquo caſu Parocho aſſiſtentiam prohibere *ſub pœna nullitatis, & attentorum.* Videtur quidem negativa eſſe manifeſta eô, quòd vi Tridẽtini jure proprio, & ex officio ſuo aſſiſtat Parochus, quæ authoritas durante officio Parochiali nullibi legitur eſſe dependens ab Ordinario quoad valorem. *Accedit*, quòd ſtante aſſiſtentia legitimi Parochi invalidare matrimonium præcisô impedimento, ſonet authoritatem ponendi impedimenta, quæ nulli Epiſcopo conceſſa

ceſſa eſt. Et ita tenent cum *cõmuni* Reiff. Pichler *ll. cc.* Addit inſuper Sporer *n.* 362. *de matrim.* Lugonem referre, à Congregatione Cardinal. monitum fuiſſe quendam Epiſcopum ad revocandam Edictum, quô ſub pœna nullitatis prohibuerat Parochis aſſiſtentiam quorundam matrimonium. Sanchez quoque *l.* 3. *de matrim. d.* 21. *n.* 10. allegat deciſionem Rotæ.

Sed Clericatus *l. c. Diſcord.* 37. reſolvit contrarium, ejus præcipua ratio fundatur in *c. tua fraternitas.* 4. *de ſponſæ duor.* ubi Alexander III. concedit Epiſcopo, quòd pendente lite ſuper prioris matrimonij valore, poſſit non tantùm prohibere, ne conjux aliud matrimoniũ contrahat, ſed addit etiam, quòd ſi huic mandato contravenerit, *matrimoniũ tàm præſumptuosè contractum poterit irritare.* Quòd tamen fundamentum clarè non convincit, cùm *cit. capitulum* P. Pirhing *ad tit. eundem in fine*, non abſolutè de matrimonio, ſed de uſu tantùm illius intelligat, quatenùs in ejuſmodi caſu valeat Epiſcopus conjugi, alias nuptias ineunti, illarum uſum irritare, & prohibere, donec per Judicium Eccleſiæ lis ſuper priori matrimonio terminata non fuerit.

Quidquid sit, *certum est I.* Parochum non obedientiam Episcopo prohibenti, graviter delinquere, & puniri posse *II.* Praxim plurium Diœcesium esse, ut lite penente inter duos sponsos, Parocho sub clausula nullitatis prohibeatur, ne assistat matrimonio, quod unus sponsorum interim cum aliquo alio contrahere attentaret: quæ praxis haud sine temeritate ab aliquo subditorum reprobari, aut impugnari potest. Fortasis hujusmodi potestas per consuetudinem, longævam observantiam Episcopis data est: quemadmodum *in Multorum Sententia* præscriptione Ecclesiæ factum est, quòd Episcopi nequeant ampliùs impedimenta dirimentia constituere.

379. Recordor interim Caremuelē, ùt de se ipso recenset *in Theol. fund.* dum vice Archi-Episcopi Pragensem Diœcesim gubernaret, id ad majorem securitatē constituisse, ut quandocunque assistentiā matrimonij interdixerit Parocho, suspensus pro eo tempore maneat ab officio quô assistere præsumpserit. Secura utique videtur hæc via, dum Parochus suô Officiô privari potest: & dumodò etiam constiterit publicè, illum pro eo tempore privatum esse, alioquin si id occultum fuerit, valida adhuc erit assistentia Parochi

rochi illius hôc ipsô, quòd communi opinione supponetur manere in Officio suo, & hoc propter dicta *N.* 371.

380. *Quæres III.* Quis sit proprius Parochus Vagorum? *Respond.* præmittendum esse, non tantùm illos esse vagos, qui in nullo loco consistunt, sed hinc inde vagantur, sed etiam, qui relictô priori domicilio aliud quærunt necdum se in animô determinantes ad aliquod; vel etiam, dum se quidem determinârunt, sed necdum illud attigerunt, ùt explicant *DD. ad titulum de foro compet*: ex *L. ejus, qui manumisit. ff. ad municipalem.* Et alibi: omnes siquidem enumerati prius domicilium non habent, quia illud reliquerunt: nec habent aliud, quia aut sibi necdum illud elegerunt, aut si elegerunt in mente, illud tamen actu non inhabitant, proinde nec habere censentur *per L. domicilium. Cod. ad municipalem*, ubi dicitur, domicilium non nuda voluntate, sed animô, & factô simul constitui.

De his ergo *dicendum*, quòd pro proprio Parocho non quemcunque, quem elegerint (ùt aliàs vult Sanchez, sed solidè non probat) sed illum, in cujus Parochia actu morantur, agnoscere teneantur, & coram eo etiam matrimonium contrahere. Pirhing *l. 4. t. 3. n. 19.* Reif. *ibid.*

ibid. n. 88. Pichler *n* 20. & alij. Ratio eſt, quia ſi nec coram illo Parocho contrahere poſſent, corã nullo alio poſſent, cùm aliùs non appareat aptior. *Confirmatur* per hoc, quòd vagi in loco, ubi actu morãtur, poſſint ab illo Parocho alia Sacramenta recipere, ibíque ſortiantur forum non tantùm quoad contractus, ſed etiam quoad pœnas, & alia: unde illud vulgatum: *ubi te invenero, ibi te judicabo.* Perinde autem eſt, ſive unus tantùm ſit vagus, quia illius Parochus neceſſariò etiã alterius eſt ex dictis *N.* 372.

Et quia quivis habet Jus deſerendi domicilium, non agit fraudulenter, dum illud deſerit ex hoc etiam fine, ne coram Parocho domicilij, ſed alibi citiùs, ac certiùs contrahat, ſive ibi intendat figere novum domicilium (quia in hoc caſu erit Parochus proprius ratione abſoluti, aut quaſi domicilij) ſive non, ſed ultrà pergere: quia in tali caſu, tanquàm nullum habens domicilium eſt verus vagus.

381. Parochus nihilominus notabit præceptum Tridentini *l. c. 7. Parochis autem præcipit* (S. Synodus ſed non irritat) *ne illorum* (vagorum) *matrimonijs interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint*, & ultrà etiam *re ad Ordinarium dilata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Cujus

Cujus ratio præmittitur: *multi sunt, qui vagantur .... & prima uxore relictâ, aliam, & plerumque plures illa vivente, diversis in locis ducũt*, propter quod magnâ cãtelâ opus est, & Parochus contrafaciens ex mente *DD.* graviter delinquit. Quod intellige, dum vagus aliunde notus non est: si enim sit notus Parocho, & à relicto domicilio vicino veniens, non videtur hoc præceptum tàm graviter stringere, cùm status illius, an videlicet nullam uxorem jam habeat, aliunde rescìri possit, nec urgeat periculum, cui Tridentinum obviare voluit

382. *Quæres IV.* Quis sit proprius Parochus Militum? *Respond.* Attendendam esse licentiam, quam eorum Capellani Castrenses habent à Papa, vel Ordinario alicujus loci ad effectum assistendi. Si enim eam habent à Papa possunt militibus suis, ubicunque degentibûs, præbere assistentiam. Si ab Episcopo, tunc non nisi in Diœcesi illius Episcopi, cùm Episcopus extra suam Diœcesim licentiare nequeat. An autem in casibus istis etiam Parochus loci, in quo Capellanus cum militibus pro tempore moratur, assistere valeat? inspiciendum monet Pichler *l. c. n.* 21. facultatem Capellani, quæ si non sit illi data privativè quoad alios,

alios, poterit Parochus cumulativè cum illo assistere ratione juris, & facultatis sibi ex officio Parochialis cõpetnetis.

Si autem Curio campestris nulla ejusmodi facultate instructus sit, Milites habent ad hunc effectũ propriũ, Parochũ illũ, in cujus Diœcesi morantur: vel enim ibi manent longiori aũi tẽpore? & ex hoc acquirunt quasi domicilium: vel non manent, sed ex mandato Ducis hinc inde mutantur? & exinde æquiparantur vagis, per dicta *quæsito priori*. *Accedit* Declaratio Cardinal. de anno 1707. die 29. Jan. ad instantiam Reverendiss. & Celsiss. Principis Frising. quam in terminis vide apud Reiff. *cit. n.* 97.

383. Jam pro altera tituli *hujus §.* parte *Sciendum* ex Trid. sufficere duos testes, de quibus, & eorum assistentia applicanda sunt omnia ea, quæ de qualitate, & assistentia Parochi *in Superioribus* dixeram. Et quàmvis, dum agitur de matrimonio dissolvendo, requirantur testes *circumspecti, & omni exceptione majores. c. 1. de consang.* cùm dissolutio matrimonij sit multùm odiosa: ad contrahendum tamen illud, & firmandum sufficiunt quicunque testes, etiam impuberes fœminæ, infames &c. modò sciant, quid à contrahentibus agatur, quia deponunt

de

de re favorabili. Et profectò ex verbis Trident. specialis aliqua qualitas in testibus non desideratur. *Communis DD.* præsertim Pichler *l. cit.* qui etiam, quæ obstare possent, exactè solvit: excipiens tamen testes, qui perjuri in Judicio facti nullam amplius fidem habent.

Quod autem requiratur, & sufficiat moralis tantùm præsentia testium, ultrà dicta valdè servit textus ex *L.* 209. *ff. de V. S.* ibi: *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur eo præsente fecisse, nisi is intelligat: itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo feciſſe: scire autem, non etiam velle is debet: nam & invito eo rectè fit, quod visum est.*

Requiritur verò, ut Testes, & Parochus simul assistant matrimonio: Concilium enim dicit: *præsente Parocho... & duobûs, vel tribûs testibûs*, quæ verba copulativum sensum faciunt: & alioquin forent testes singulares, & non contestes, nec possent de eodem actu matrimonii testari.

§. III.

Utrùm Clandestinitas sit ubique impedimentum dirimens.

384. VIsum fuit *N.* 369. ipsum Trid. ad obligationem suæ Legis irritan-

irritantis requisijsse publicationem illius tanquàm conditionem sine qua non : non quidem in sola Diœcesi, sed *in unaquoque Parochia*, ùt textus ait, ita ut *robur suum post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem* (N.B.) *Parochia factæ*. Quàmvis autē nulla mentio fiat acceptationis hujusce Legis, judicandum tamen est, illam necessariam esse, sicut ad quaslibet alias Leges positivas, & humanas, pet tradita *à DD. ad tit. de Constit.* quod videlicet Lex constituatur sine acceptatione, acceptatio tamen necessaria sit ad illius obligationem actualem juxta notum illud : *Leges instituuntur, dum promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur. Can.* 4. *d.* 4. inquit Gratianus id est, lex per promulgationem Jus quoddam acquirit, sed usu, & observantiâ in possessionem mittitur. Marchant. *Tribun. tom.* 3. *p.* 3. *tr.* 1. *tit.* 7. *q.* 9. licèt primi per decennium absque ratione illam non acceptantes, & non observantes à peccato non excusentur. Quibús, & dictî *priori* §. attentîs.

385. *Deducitur I.* In loco Tridentini non promulgati, vel promulgati, sed non acceptati, validum esse matrimoniū (non licitum, quia semper prohibitum erat de Jure antiquo, & quidem illimitatè

tè ſine omni conditione promulgationis in quolibet loco) contractum ſine Parocho, & teſtibus. *II.* Si ſponſus e. g. ſit ex loco non promulgati, aut non acceptati Tridentini, ſponſa autem ex loco acceptati, valet matrimonium ſine requiſita præſentia in loco ſponſi contractum. Marchant. *l. c. q.* 6. & caret controverſiâ, dicit Reiff. *n.* 121. quia ſponſus validè contrahit non obſervatô Trident. ergo & ſponſa, cùm nequeat contractus valere ex una parte, quin valeat ex alia. *III.* Spõſi incolæ loci, in quo viget Tridentinũ, validè contrahunt in loco non recepti, ſi illac ſe conferant, animô figendi domicilium, vel quaſi domicilium: fiunt enim veri Incolæ illius loci. Si autem

IV. Hujuſmodi ſponſi ſe ſoluṁodò illuc conferant, ut poſſint ſine forma Tridentini copulari, ſtatim deinde reverti intendentes, invalidè agunt: quia ibi nullum habent domicilium. Et licèt alij contractus de Jure regulentur ſecundum Leges Loci, in quo fiunt, quoad cõtractum tamen matrimonij in propoſito caſu aliud declaravit S. Congregatio, approbata ab Urbano VIII. 14. Aprilis 1627. per ſpeciale Breve, quòd ùt teſtatur Pichler *cit. n.* 14. ex autographo refert Lugo, & ab Archi-Epiſc. Colonien. Maximilia-

no ex Ducibus Bavariæ, Decretis Synodi illius Diœcesis insertum est annô 1662. ut proinde contrariâ sententiam ampliùs docere, vix alienum â temeritate videatur Reiff. *l. c. n.* 126. Concordant quoque dicta *N.* 374. *in fine.*

V. Qui ex loco Tridentini recepti pergunt ad locum non recepti recreationis causâ, aut negotiorum, brevì finiendorum (quidquid Plurimi dicant apud, & cum Reiff. *cit. n.* 123. *& seq.*) invalidè contrahunt ibi sine requisita præsentia. Ita probabiliùs Layman, & alij: & sequitur ex dictis *N. cit.* 374. quia licèt peregrini, & advenæ, seu transeuntes se possint, ac debeant accommodare Legibus loci, in quo actu reperiuntur, ad matrimonium tamen requiritur, ut coram illo Parocho contrahant, cujus sunt Parochiani ratione domicilij, vel quasi domicilij: cùm igitur peregrini &c. prius domicilium non deseruerint, nec aliud sibi constituerint, manent Parochiani veri sui Parochi, tenentúrque in contractu conjugali ad illius præsentiam. *VI.* Denique qui vagi sunt, possunt sine forma Trid. contrahere, dum in loco non recepti reperiuntur; quia nullum domicilium, & nullum Parochum determinatum habent.

386.

386. *Quid verò* agendum, dum in loco promulgati,& recepti Tridentini præsentia haberi nequit? Non rarò enim Catholici morantur in locis hæreticorum, ubi quidem Tridentinum aliquando erat receptum, sed hæresi inundante Parochi Catholici exulare debent, aut saltē se in occulto tenere, nec semper absque gravi damno à Catholicis adiri possunt. *Respond.* Jam dudum providit S. Congregatio Concilij Interpretum, dum ab Episcopo Tricaricensi Nuntio Belgij super matrimonijs in partibus Hollandiæ &c. contractis, interrogata, declaravit: *Si Parochia, in qua aliquando fuit observatum Decretum, Parochô careat, & Cathedralis itidem Episcopô, & Capitulô, habentibus à Concilio facultatem, alium Sacerdotem ad id delegandi, nullúsque alius ibi sit, qui vices Parochi, aut Episcopi supleat* (unde Missionarij Sacerdotes, quos ibi transire contingit, aut morari, non sunt necessarij, nisi sint speciali facultate ad hunc effectum muniti) *matrimonium valet absque præsentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest formâ Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus.* Et iterum: *Si verò extent quidem Parochus, & Episcopus, sed nullô constitutô Vicariô, utergue metu Hæreticorum lateat, ita ut ve-*

rè ignoretur, ubi sit, vel eôdem metu à Diœ-cesi absit, nec ad alterutrum sit tutus acces-sus (quia timetur jactura bonorum vitæ, famæ, fortunæ, persecutionis, mulctarū &c. quæ à prudente, docto, & timorato expendi debent) *validum est matrimonium, contractum absque Parocho, adhibitis tamen testibûs.*

387. *Utrùm* autem matrimonia hæreticorum inter se, in locis recepti aliquando Tridentini, & ubi Parochus Catholicus haberi potest, absque forma illius, & in præsentia Magistratûs tantùm, aut illorum Pastoris contracta, sint valida? Acriter disputant DD. Affirmativā dicit P. Pichler *l. c.* 15. *communiorem* inter Germaniæ Scriptores, & *probabiliorem*, pro qua præter Pirhing, Marchantium, & Sporer citat 13. alios, & alij citantur ab alijs. Et reverà si lex Trident. potuit à principio promulgationis non acceptari, & ob id valorem perdere per dicta *N.* 384. non videtur ratio, ob quam deinde per non acceptationem ampliùs, & non observantiam longævam 40. e. g. annorum eidem præscribi non posset: cùm sit lex merè Ecclesiastica, & labilitati obnoxia ad modum aliarum. Secundum dicta *item* valet matrimonium sine præsentia Parochi, dum ea haberi nequit absque gravis

damni

damni periculo in locis hæreticorum: adeoque idem dicendum videtur de matrimonijs hæreticorum, ubi introductum, & ſtatutum eſt, ne accerſeatur Parochus catholicus: utique enim à graviori multa, & pœna immunis haud eſſet, qui violando ſtatutum, ſe hunc in finem ſiſteret coram Parocho catholico. Verùm quidem eſt, etiamnum valere Leges, quæ ab Eccleſia in pœnam obſtinationis hæreticorũ latæ ſunt, nec his præſcribere poſſunt, cùm Eccleſiâ non conſentiat, ſed leges ejuſmodi potiùs urgeat in promeritâ pœnam. Aſt Lex Trid. de præſentia Parochi non eſt pœnalis, nec propter hœreticos immediatè lata, ſed generalis, & omnes reſpiciens, cui proinde ad normam aliarum legum præjudicari poteſt, licèt à principio non abſque peccato.

Favet etiam exemplum Palatinatûs Neoburgici, qui ante annos complures ad fidem catholicam redijt, & nemo tamen, inquit Pichler *cit.* nec ipſi Epiſcopi erant ſoliciti pro impetranda diſpenſatione Põtificis, ut matrimonia priùs ſine forma Trid. contracta, valerent: vel reſtaurandis illis coram Parocho catholico, quòd tamen fieri debuerat, ſi coram Præcone priùs inita fuiſſent invalida.

Econtra P. Reiff. *l. c. à n.* 140. Elbel. *de matr. n.* 289. & iterum *n.* 297. *& seq.* ac plures alij negativam sustinent ex declaratione Cardinal. Adducunt quoque exemplum non vetustum Diœcesis Frisingensis, ubi conversos hujusmodi ad verã fidem, fuisse separatos ex eo capite, quòd sine Trident. formâ, contraxerunt matrimonium (sed dubitat Pichler *l. c.* an non fortè id factum fuerit ob aliud impedimentum) Recensetita P. Elbel *n.* 299. se à quodam fide dignissimo habere, S. Pœnitentiariam, desuper consultam permisisse, ut hæreticus conversus relicta priori uxore hæretica (quæ pariter alteri nupserat) quam coram Prædicante duxerat, potuerit alteri copulari, quia prius matrimonium, *utpote clandestinum*, erat nullum.

388. *Quid* ergo in praxi? *Respondeo*, utraque Opinio probabilis est, & affirmativam etiam alterius Patroni aliqui in praxi admittunt, quòd certè debent, nisi Episcopos Palatinatûs Neoburgici damnare velint. Si tamen conjuges hæretici, postmodum ad fidem convertantur, & de valore matrimonij coram Prædicante contracti quietari nollent, facile habent omnimodæ securitatis remedium, contrahendi videlicet iterum coram proprio

Paro-

Parocho catholico. *Si* verò unus tantùm convertitur, & ab altero liberari cupit, videat, utrùm possit Româ facultatem obtinere præmissa declaratione nullitatis prioris matrimonij: per me licet, cùm multùm probabilis, si non probabilior sit sententia, illud annullans. Et hæc de hæreticis inter se.

389. *At* quid de matrimonio Catholici cum hæretica (aut ê contra) in locis promulgati Tridentini? *Respond.* illud esse invalidum propter declarationem S. Congregat. quam in terminis recitat. Reiff. *l. c.* de die 2. Maij 1676. Procul dubio, quia non tam facilè à lege Concilij eximitur Catholicus, quàm hæreticus. Excipe autem casum, quò Parochus aut nullus ibi esset, aut non vicinus moraliter, ut commodè adiri valeat, propter dicta *N.* 386.

390. *Si* scire desideres, ubi Tridentinum non sit promulgatum? consule historias, quia est quæstio facti. Interim ex illa habetur, in partibus Infidelium promulgatum non esse. Nec in Suecia, Brussia, Saxonia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Pondrania, aliísque Provincijs septemtrionalibus, quæ defecerunt à fide ante an: 1564. quò Tridentinum Romæ primùm promulgatum fuit, & confirma-

tum. In Hollandia, Frisia, Zeelandia, & Provincijs confœderatis, aliqui apud Marchant. *cit. q.* 10. *concl.* 3. non malè negant: cùm enim an: 1564. & seq. quô Tridentinum primam publicationẽ Romæ habuit, & confirmationem, in Belgij Provincijs truculentissima bella æstuabant, Ecclesiæ spoliatæ, Ecclesiastici pulsi, & hæresis vi inducta: credibile vix est, Leges Conciliares promulgari potuisse. In Galliæ quibusdam partibus diu quidem promulgatum non erat, sed postea tandem jussu Regis an: 1620. publicatum à quibusdam dicitur. An autem etiamnũ ubique in Gallia floreat, Incolæ scient.

391. *Quid* autem judicandum, dum de aliqua Parochia nec ex Tabulis instrumentísque authenthicis, nec testimonijs fide dignis constat promulgatio Tridentini? *Respond.* attendendum ad Regulam traditam à S. Congreg. Nuntio Belgij: *Publicatio autem Decreti facta præsumitur, ubi Decretum ipsum fuit aliquo tempore in Parochia, tanquàm* (N.B.) *decretum Concilij observatum*, id est ubi per unum, alterúmve annum præsentia Parochi observabatur, non quidem, ùt ab antiquis Canonibus graviter præcepta, sed ùt à Trid. sub nullitate inducta. Marchant. *l. c. q.* 4. Si verò nec hoc experimen-

mentum datur, concludendum est pro non publicatione, & non obligatione; quia stante dubio præsumitur contra legem.

§. IV.

Resolvitur casus de impedimento Clandestinei tatis.

Finxit Titus Litteras, quibûs significabatur, Parocho N. esse à proprio Titi Parocho datam licentiam assistendi matrimonio illius cum Litra. Visîs Literîs adstitit Parochus N. assumptîs duobûs testibûs. Post contractum contulit se Titus Viennam cum Litra, ubi dum pluribûs annîs morantur, æstimati veri conjuges, Titus sine spe convalescentiæ infirmus factus, Confessariũ advocat, statum suum aperit, & quid agendum, postulat. Matrimonium cum Litra creditur ex defectu præsentiæ proprij Parochi nullum, novúmque advocatô Parochô Viennensi (aut aliô de ejus licentia) contrahere, infamia vetat: sic verò manere ob periculum æternæ damnationis consultum non est: nam Titus fatetur suam fragilitatem, séque turpibûs erga Litram affectibûs sæpè agitatum, ad resistendum, ne complacentiam admittat cimparem esse, quæ tamen, cùm illa uxor legitima non sit, nullatenus licet. Quid ergo Confessarius? Jussit, ut coram se

de novo contrahant, ratus in casu tàm arduo, & ita circumstantionato sufficere cujusque Sacerdotis præsentiam. Sed utrum benè?

392. *Respondeo.* Confessario duriorem fortè, quàm sit, casum fuisse visum. Interrogare enim debuisset, an Titus, dùm Parochum N. accesserat, habuerit animum propriam priorem deferendi Parochiam, ut & in Parochia N. habitandi? si ita: validè contraxit matrimonium coram illo Parocho, quia per dicta *N.* 3. desertâ priori Parochiâ, aut domicilio, prima etiam die in alio loco, ubi quis domicilium figere intendit, contrahere potest. *Nec* obstat, quòd contractô matrimoniô inde Viennam moverit: quia liberum est domicilium electum, & inhabitatum mutare, & facta mutatione non sequitur prius domicilium non fuisse verum domicilium. Si dixisset Titus, non sibi fuisse animum in Parochia N. habitandi, interrogandus ultrà erat, ubi tamen habitare destinaverit? Et si dixisset: pro eo tempore se adhuc de domicilio fuisse ancipitem: matrimonium iterum fuit validum ex dictis *N.* 380. Titus enim quia primum domicilium deseruit, & aliud necdum inhabitare incepit, vagis adnumeratus, coram Parocho contrahere potuit, in cujus

jus Parochia proeo tunc subſtitit, & moratus fuit. *Idem* dicendum, ſi faſſus fuiſſet, ſe illo tempore reſolutum fuiſſe ad conſtituendum Viennæ domicilium, quia, ùt dixi *N. cit.* domicilium ſola voluntate non acquiritur, ſed actuali inhabitatione: cùm ergo Viennam nondum attigerit, vagi rationem obtinuit.

Atque in hiſce caſibus Titum informabit Confeſſarius, quòd, quàmvis ob errorem, quô credebat, ſe invalidè copulatum eſſe, fornicariè, & illicitè Litrâ uſus fuerit per tradita *à Theologis de cõſcientia erronea*, validum tamen illius eſſe matrimonium, cujus nullitas non ab imaginario, & putativo, ſed à reali tantùm provenit impedimento.

393. *At quid dicendum*, ſi ponatur, Titum Viennæ tenuiſſe Litram abſque eo, quòd coram aliquo Parochorum eam ſibi copulâſſet? Poſsétne Confeſſarius admittere, ut coram illo contrahant in caſu tantæ neceſſitatis? *Reſpondeo*, Videri, quòd ita: quia ſiquidem, & benevola Mater eſt Eccleſia, quæ ſuas Leges urgere non intendit in caſu tam difficilis obſervantiæ: ſicut ergo plures aliæ leges in caſu gravis periculi, & neceſſitatis non obligant; ita nec in caſu ſpecificato, Decretum Trid. de præſentia Parochi. Benignam

nignam hanc ſententiam probabilem judicat Veracrux, & Vega apud Sanchez *l. 3. de matr. d. 17. n. 3.* Jacobus de Graffijs, & Silvius apud Caramuelem *l. 3. Theolog. fund. n. 3835.*

Verùm ſententia negans certa eſt Sanchezio *n. 4.* ſequitur Pirhing *l 1. t. 3. n 7.* Pichler *ibid. n 12. cum communiſſima* aliorum: nec Caram. *l. c.* videt in caſu poſito neceſſitatem tam dubij matrimonij, ùt infrà patebit: Sporer *de matr. n.* 367. cum Diana, & Gobat nihil audet decidere, ſed id remittit ad Sedem Apoſtolicam: & in caſu occurrente monet Confeſſarium ut tutiora, & ſecuriora ſequatur. Ratio fundata, & ſolida eſt, quòd Trid. præſentiam proprij Parochi poſuerit de ſubſtantia, & forma intrinſeca matrimonij ſecundum *Omnes*, actus autem ſine forma eſt nullus, & mortuus, utì corpus ſine anima: immò Trid. perſonas ſine præſentia Parochi reddidit ad matrimonium *omninò* inhabiles, quæ dictio ponderanda eſt, cùm excludat omnem caſum, nec abſque ſpeciali diſpenſatione exceptionē aliquam patitur Sanch. *l. c* Verum quidem eſt, quòd Eccleſia pro caſu difficillimæ obſervationis non intendat urgere ſua præcepta, & leges merè prohibitivas, aut præceptivas: ſed aliud eſt de legibus irri-

irritantibus actum, quæ & inculpabiliter ignorantes ligant, & pro omni casu sine exceptione vigent: unde in illis non datur Epikijæ, aut benignæ interpretationi locus per tradita à Juristis *ad tit de Constitut.* Asserere etiam, quòd Papa consultus declararet, Trid. in dicto casu non obligare, meram divinitatem sapit,

Quibûs attentîs Amicus apud Caram. *cit.* & ne ex ejus doctrina aliquis posset insolentes aliquas conclusiones deducere (idem videlicet de alijs etiam impedimẽtis argumentando) quàmvis urgeat pro benigna sententia, difficiliores, & majoris considerationis casus proponens; quæ tamen dixerat, voluit pro indictis habere, quousque, quid sit tenendum, Apostolica Sedes non doceat.

394. *Quid ergo* in praxi? *Respond.* nec amplecterer, nec suaderem primã sententiam: quinimmò nec adverto tantam, ùt apprehenditur, illius necessitatem. Peccatum liberũ est, nec necessariò committitur: potest Titus cavere, & resistere, ne consentiat, aut sibi voluntariè complaceat, dum se illicitè erga Litram affectus insinuant. Tenetur, & potest id facere quivis sanus etiam, tametsi præter libidinosas affectiones, quæ se menti ingerunt, caro etiam ad complacentiam,

&

& consensum fortiter allicit, & movet; nec tamen necessarium est pro remedio ad matrimonium appellare. A fortiori faciliùs similibus resistere potest infirmus, & vix non animam agens, cùm tentationes in animo tantùm patiatur, nec insidias carnis suæ penè cadaverinæ experiatur. Confessarius itaque impediet, si fieri poterit, ne Litra lectum, aut saltem non ita frequenter accedat: jubebit Tito, ne dum Litram lecto astare contigerit servitij causa, oculos in illam fixos. attollat. Spiritualibûs illum instruet exhortationibus, æterna eum damnatione, si non resisteret, terrebit, DEum pro illo exorabit, ut illum à lapsu præservare dignetur &c. Si cuncta hæc nil juvant (sed in statu illo haud credibile, tantam fragilitatem, quæ impediret, ne juvent) dicet Confessarius: *perditio tua ex te. Oseæ* malitia Titij inexcusabilis est, excusabilis Confessarius, qui egit, quod potuit, & debuit, licèt omiserit contractum matrimonij, cujus valor tam suspectus est, nec tanta, ùt visum, in praxi necessitas.

395. *Sed quid*, Si Confessarius matrimonium coram se contrahi permisisset? *Respond.* si persuasam sibi habuit probabilitatem benignæ sententiæ, bona fide processit, nec peccavit: quod multò magis

gis verum habet in Tito, qui consilio Confessarij credidit,& exinde putans, Litram esse uxorem suam, carnali in illam affectione licitè ferebatur. Si tamen contingeret, Titum infirmitate superata supervenire, procul dubio petenda foret dispensatio, ùt iterum contrahant sine præsentia proprij Parochi, quam gravissimæ infamiæ periculum non admittit.

A quo autem? *Respond.* ab Episcopo, à quo subticitîs nominibûs Oratorû petere potest Confessarius, ut sibi det licentiam assistendi in occulto illorum matrimonio, adhibitîs tamen duobûs testibûs cõfidentibûs, delatô priùs illis juramentô de servando secreto: simul etiã dispenset in præcepto præmittendarum denuntiationum. Imò æstimo sufficere recursum ad Parochum: nam ille potest delegare Confessario (sicut cuicunque alij Sacerdoti) facultatem assistendi. *Nec obstat*, quòd denuntiationes præexigantur, in quibus tamen Parochus nequit dispensare, cùm Trid. *l. c.* Ordinarijs tantùm eã facultatem concedat. *Etenim* licet id verum sit regulariter, & de dispensatione propriè tali loquendo: in casu tamen urgentis necessitatis, dum Episcopus adiri nequit, vel rogatus dispensationem injustè negat, potest Parochus per Epichejam

jam declarare, quòd præceptum de denuntiationibus non liget. Sanchez, Layman, Gobath, aliísque apud, & cum Reiffenſt. 4. *t.* 3. *n.* 37. *& ſeq.*

Dixi: *in caſu urgentis neceſſitatis*, qui cenſetur adeſſe, quoties diſpenſatio ſervit pro bono communi, vel ad acquirendum notabile privati bonum, aut vitandum grave damnum animæ, famæ, fortunarum, de quibus, an reverà verificẽtur, judicare pertinet ad Epiſcopum per Trid. *l. cit.* Dixi item: *dum Epiſcopus adiri nequit*, quia videlicet periculum eſt in mora, nec conſultum judicatur præſtolari tempus, donec ad Epiſcopum recurſus fiat. Dixi denique: *aut Epiſcopus rogatus diſpenſationem injuſtè negat*, non obſtante enim contradictione illius, in caſu ejuſmodi neceſſitatis ceſſat obligare Lex denuntiationum; adeoque non apparet, cur Parochus nequiret per ſe aſſiſtere, aut alteri licentiam aſſiſtendi dare omiſsîs denuntiationibûs. Et hoc loquendo de foro interno: nam in foro externo nõ ſuaderet Reiffenſt. *cit. n.* 46. ut aliquis Parochorum poſt denegatam ab Epiſcopo hujuſmodi diſpenſationem præſumeret ſine denuntiationibus matrimonio aſſiſtere: quàmvis enim non peccaret in conſcientia, puniri tamen poſſet, quia

quia non illius, sed Episcopi est arbitrari, an reverà ejusmodi gravis causa subsit: tùm quia id videtur præjudicare debitæ subordinationi, & respectui ad Episcopũ. Sed hæc notâsse tantùm sufficit; nam propositus noster casus respicit forum internum duntaxat

396. Porrò ex his constat, minimè opus esse, ut pro contrahendo matrimonio Titi cum Litra S. Pœnitentiaria molestetur: siquidem ordinariè non aliud concedit (vidi ipse ejusmodi Rescriptum pro casu, quo concubinarij, qui putabantur conjuges, in secreto contrahere cupiebant, indéque vitium concubinatûs sanare) quàm Executori licentiam assistendi matrimonio, conductîs testibûs confidentibûs, & juramentô ad secretũ obligatîs. Cùm itaque Episcopus ibidem præstare valeat, imò ex dictis Parochus, sine causa Romam recurritur. Aliud foret, si Episcopus, & Parochus requisiti id concedere nollent (prout alicubi recenter factum scio) tunc enim remedium Româ solicitandum est.

Raptus.

§. 1.

Explicatio, & Impedimentum Raptûs.

RAptus magis amplè dicit quemcunque coitum Virginis, juxta illud *S.* Isidori: *Raptus illicitus coitus à corrumpendo est dictus. l.* 5. *Etymol. c.* 26. & refertur *c. ixxxvi. q.* 1. quia scilicet supponitur in Jure, virginem non consentire in sui violationem, nisi dolô, vel aliquâ violentiâ seducatur. Et quàmvis virginem corrumpens, illam non abducat in alium locum, *raptum* tamen *admisit, quia florem virginitatis puellæ renitenti violenter eripuit.* Gratianus *ad c.* 3. *q. & cauſ. cit.* Sed in presſiori significatione, non dicit merum usum corporis violentum, sed violentam ipsius personæ abductionem, vel ad libidinandum, vel ad contrahendum cum illa matrimonium: qui raptus non tantùm gravissimè punitur in utroque Jure, de quo Juristæ passim, sed insuper etiam dirimit matrimonium inter raptorem, & raptam ex *cc. cauſ. & q. citt.* non obstante, quòd rapta liberè deinde consentiat

in

in matrimonium, quod ultimum tamen limitatum erat. *c. ult. de Raptorib.* ibi. *legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio postmodum transeat in consensum, & quod antea dispicuit, tandem incipiat complacere.*

398. Quid quid sit de Jure hoc antiquiore, judicandum de facto est juxta Decretũ Trid. quòd *Sess. 24. de reform. matr.* non tantùm quædam circa alia impedimenta immutavit, ùt per decursum constabat sed *c. 6.* etiam de rapta sequens eddidit Decretũ: *inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.* Ex quo constat, raptum esse impedimentum dirimens, non quidem ex eo, quòd fœmina rapta non consentiat, vel non nisi gravi metu adducta consentiat in raptorem; nam in secundo casu subintraret impeddimentum metûs, in priori autem matrimonium foret de Jure naturæ nullum ex defectu consensûs: sed ideo tantùm, ut occludatur via rapiendi fœminas in ordine ad matrimonium; frustra enim ex hoc fine rapitur aliqua, cùm finis ille obtineri nequeat: tùm quia li-

cèt fœmina poſſit deinde ſponte conſentire in raptorem, varijs modîs illecta, nam *varium, & mutabile ſemper fœmina.* Virg. *Æn.* 4. magis providetur plenæ libertati ad matrimonium, ſi ille conſenſus tantùm valeat, qui datur â fœmina, ad tutum locum repoſitâ, & ſibi relictâ.

Et quia quævis fœmina eadem libertate gaudere debet, cùm cujuſcunque ſit in ratione conjugij ejuſdem rationis: quàmvis pœnæ raptûs de jure civili ferantur in raptorem fœminæ honeſtæ tantùm: *verum eſt, ſi meretricem alienam ancillam rapuerit, quis non eſſe furtum*, ſeu rapinam, *L. verum.* 40. *ff. de furtis.* proviſio tamen Tridentini reſpicit etiam inhoneſtam fœminam.

399. Porrò ad raptum in propoſito *requiritur I.* ut ſit vera abductio fœminæ de loco in locum in æſtimatione morali diſtinctum, ùt clarè patet ex verbis Trid. *citt.*. ſi enim de una domo tantùm ad modicum tempus rapiatur ad aliam, vel de publico ad occultum &c. non committitur proprius raptus, cùm non cenſeatur eſſe cõſtituta ſub poteſtate raptoris, ad quod tamẽ Conciliũ reſpexit. Perinde autem eſt, ſive per ipſum raptorem, ſive per mandatarium ita abducatur: aliud foret, ſi ſua ſponte raperet fœminam pro

alio

alio sine aliús consensu ; non enim hic, sed ille tantùm foret raptor, ut de se patet.

II. Eam abductionem debere esse violentam, cùm raptus ex suo genere violentiam importet: *aliud esse rapi, aliud amoveri, palam est, siquidem amoveri aliquid etiã sine vi potest, rapi aut sine vi non potest. L. 3. ff de Incendio &c.* per quã, seu violentiam *Theologi* distinguunt raptum à simplici furto, illúmque in majori gradu malitiæ constituunt, per illud: *penale est occultum occultè auferre, multò majoris pœnæ est visibiliter eripere* (quia intercedit violentia) *c.* 13. *xiv. q.* 5. Ad propositum tamen attenditur in *probabiliori sententiæ* violentia ipsi fœminæ raptæ illata, non autem parentibus, vel ijs, quorum curæ subjicitur: unde etiam *c. cùm causam* 6. *de Raptor.* permittitur matrimonium cum rapta consentiente, *licèt parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse*, & Rubrum illius *cap.* generaliter dicit. *raptus non dicitur, ubi volens pro matrimonio abducitur*: in eo enim casu fæmina *fugitiva* potiùs, quàm *rapta* dicenda est. Quamquàm ùt advertit Pichler 4. *tit. n.* 119. ex Clericato, in praxi soleat in tali etiam casu fœmina ad locum priorem, aut alium extra potestatem rapientis constit ui

ſtitui, ut ibi conſenſus ejus exploretur, quod obſervandum eſſe etiam Alij hortantur.

III. Denique, ut ejuſmodi abductio (quidquid aliqui dicant) fiat animô, & intentione contrahendi matrimonij, non merè libidinandi: concilium enim libertati tantùm conſulere voluit, quoad matrimonium in *cit. l.* cùm & in alijs *cc. ibidem* agat de matrimonio ſolummodo, ùt ex Rubrica præfixa concluditur, quæ eſt: *de reformatione matrimonij*: Idcirco etiam Reſcriptis Pontificijs ſuper impedimentis nunquàm intermittitur clauſula exceptiva: *dummodò mulier propter hoc* (id eſt, propter matrimonium contrahendū, ùt contextus docent) *rapta non fuerit*, quia videlicet raptus ex hoc fine factus novum cauſat impedimentū. Id tamen oppoſitæ ſententiæ concedo, quòd ſi opponat raptor, ſe fœminam rapuiſſe, ut ea potiri tantùm poſſet, nihil cogitans de matrimonio, nullam mereatur fidem, dum conſtiterit, illum attentâſſe deinde fœminam movere ad conſenſum conjugij: quia enim vera intentio, tempore raptûs concepta, externè latet, poſteriores conjecturæ, ex tractatu matrimonij deſumptæ, indicant primævum matrimonij animum.

A for-

A fortiori igitur *deduco* cum P. A. Breno *in Manuali Missionarior. tom. 2. lib. 3. c. 15. q. 5.* non oriri impedimentum, dum tempore belli, aut excursionis hostilis fœminæ rapiuntur absque distinctione, juvenes vetullæ, conjugatæ, viri etiam, & pueri: qui raptus utique vindictæ, inimicitiæ, intentioni damnum inferendi, aut summum quandoque libidinandi attribuendus est.

400. Quando ergo aliquis modò, & animô hucusque explanato rapit fœminam, nequit eam de Jure Trid. in uxorem habere, non obstante, quòd illa postmodum liberrimè etiam consentiret, aut ille pœnitentiam ageret de scelere: crimẽ equidem raptûs completum jam fuit, & pœnitentia reatum quidem delet, sed impedimenta non extinguit. *Quid* ergo factô opus? *Respond* Impedimentum isthoc temporaneum est, non perpetuum, & voluntate raptoris aboleri potest; si nimirum raptam tuto loco restituerit, eam vel ad priorem locum, unde rapta fuit, vel ad alium reponendo, ut non ampliùs sub sua potestate constituta censeatur, & illa eum in maritum habere voluerit, cessat impedimentum. Ita Trident. ibi. *si rapta à raptore separata* &c. ùt *suprà N. 3.*

401. Duæ etiamnum ſuperſunt difficultates. *Una*, utrùm ſponſus, qui ſuam ſponſam rapit, incurrat impedimentum? *Altera*, an etiam, ſi fœmina raperet virum?

Ad primam *Reſpond.* cum Sanchez. *l. 7. d. 13. n. 15.* Caram. *l. 3. Theol. fund. n. 3828.* & alijs, *probabilus affirmativè* non tantùm quoad illum caſum, quô ſponſa haberet juſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus; tunc enim, cùm ſe omni inſtanti à ſponſo liberare valeat, neutiquàm illi obligata eſt, ſed injuſtè per raptum violentaretur ad matrimonium, ſicut quæcunque alia fœmina. Sed etiã ex ſuppoſito, quòd ſimilem cauſam allegare cum fundamento nequeat. Rationem deſumo ex ultimata libertate matrimonij; etenim cùm ſponſa etiam, licèt à ſponſo cogi aliqualiter valeat ad impletionem ſponſalium, ultimatim tamen ſit ſui Juris, nec abſolutè ad id compelli poſſit, ut ſalvetur libertas matrimonij, & præcludantur infelices exitus, qui de invitis nuptijs provenire ſolent: gravem pateretur injuriam, libertatíque matrimonij nocivam, ſi impunè raptui exponeretur eo fine, ut ſpõſi raptioris ſubjecta poteſtati ad conſenſum matrimonij, quod multùm averſatur, cogi poſſit.

Nec

Nec contrariatur *c.6. de Raptor. Papa ſiquidē* in eo tātùm caſu ſponſū liberat ab impedimēto raptûs dum invitis quidē parentibus rapit ſponſam, ſed volentem, ait enim: *cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptijs agitur: iſte* (miles) *raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris aſſenſum, & priùs eam deſponſaverit, quàm cognoverit, licèt parentes reclamarent.*

402. Ad ſecundam *Reſpond. affirmativè* cum Maſtrio, Clericato *Diſcor.* 46. Schmier, Pichler *l. c. n.* 120. alijsque cōtra Sanchez *l. c n.* 24. Caram. *n.* 3829. Reiff. *hìc*, Sporer &c. quàmvis enim impedimenti natura ſit, odioſa, & ſic Trident. loquens in maſculo tantùm: *Inter raptorem, & raptam: ſi rapta à raptore ſeparata:* item *nihilominus raptor ipſe* &c. non deberet ad fœminas raptrices extendi per Reg. 15. *I. in* 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari:* in hoc tamen impedimēto duo adverto: *unum*, quòd importet quaſi pœnam; *alterum*, quòd per illud fiat proviſio de ſecuritate libertatis ad matrimonium requiſitæ ſecundū dicta *N.* 398. Immò credo, hunc finem magis cordi fuiſſe Tridentino, quàm punire raptorē: Unde etiam dixi *N.* 399. Tridentinum non reſpexiſſe raptum animô libidinandi factum, quia bona matrimonij tantùm

prospicere voluit; Ex quo *sequitur*, illud, hac in parte favorabile esse, & lata interpretatione donandum, ut etiam fœminas raptrices comprehendat, licèt verbis masculinis utatur, gratiâ duntaxat commoditatis, non intentione excludendi fœminas: sæpè enim *etsi verba Legis hunc habeant intellectũ* (in proposito masculinum, si ad litteram sumantur) *tamen mens Legislatoris aliud vult. L. scire. ff. de excusat. Tutor.* videlicet fœminas etiam comprehendere.

403. Per quod solvuntur ea exempla, in quibus nomine viri non veniunt fœminæ, quia sunt in materia merè pœnali, aut si etiam favorem continent, ea parte ad fœminas quoque ampliari debent. *Nec* quidquam facit, quòd rarus sit casus fœminæ raptricis, *ad ea* autem *potiùs debet aptari Jus, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ rarò eveniunt. L. nam ad ea. ff. de Legib.* Quàmvis *enim* verum sit, Leges non ferri directè, & ex professo circa casus rarò contingentes, certum tamen est, legẽ universaliter in omnes transgredientes latam, stringere etiam illos de populo, qui rarissimè eam violant. Deinde Clericatus *l. c.* narrat casum factum de fœmina raptrice: Clarus item *§. raptus. post initium* refert in quadam Italiæ urbe

urbe puerum à meretrice raptum: Tiraquellus plures viros à fœmina raptos recenſet: Idem reperitur in alijs: quæ omnia cùm citet Sanchez *l. c.* non video, quomodo ex rarite fœminarum raptricũ deducere conetur, eas ſub Tridentino non comprehendi. Addit quidem gravius delictum eſſe raptum fœminæ propter majorem injuriam, quæ irrogatur fœminæ, cujus major eſt honeſtas. Verùm ſi vir honeſtatem fœminæ lædat ipſa in hoc gravius delinquit, quòd ſui ſexûs, honeſtatis, & verecundiæ oblita, virum rapere audeat.

§. II.

Reſolvitur caſus de Raptu.

Bella unà cum Genitoribus ſuis beneficiô quaſi, & largitate Præpotentij divitis, & magnæ conſiderationis viri ſuam habuit ſuſtentationem. Præpotentius pulchritudine Bellæ captus, eam in uxorem habere voluit. Renuit illa prudens ſecuta conſilium: Pauperior caveat ſeſe ſociare potenti: & ne ille conſenſum tandem extorqueret, ſe loco incolatûs ſui ſubducere decreverat. At præpotentius propoſitum Bellæ reſciens, non tantum beneficia, quæ libereliter contribuebat, ſubtrahere, ſed varias etiam vexas, quarum capax erat, ſi Bella

do-

domicilium mutaverit, parentibus illius minabatur, quibûs illa permota, & habitationem ſuam non mutavit, & mutatô tandem propoſitô, ſe Præpotentio in uxorem dedit. An validè?

404. *Reſpondeo*, invalidè, & nulliter, ſi minæ Præpotentij, quas Bellæ, & parentibus intentare voluit, erant graves, & ad juſtum metum, ſecundum dicta *de impedimento vis*, ſufficientes. Ratio eſt; quia ad raptum ſufficit abductio violenta fœminæ de loco ad locum, non phyſicè, ſed moraliter diverſum ex fine extorquendi matrimonij: atqui in propoſito caſu Præpotentius violentiam moralem intulit Bellæ mediante gravi metu: abduxit etiam illam ad locum moraliter diverſum; licèt enim phyſicè in eodem permanſerit domicilio, quia tamen illud antecedenter liberum ei erat, poſtea verò per metum gravem violenter detenta, cenſetur in morali æſtimatione mutâſſe locum, & in poteſtate Præpotentij raptoris conſtituta; adeoque verum, & proprium ille comiſerat raptum, nec potuit in uxorem habere Bellam, niſi illa revocatîs priùs minîs, plena libertate donata, ſponte in matrimonium conſenſiſſet.

Vides, in reſolutione nullitatis matrimonij nullã de ſubſtractione beneficiorũ fa-

factam fuisse mentionem: quàmvis enim & illa Bellæ animum graviter movere, & concutere potuerit, cùm tamen ad beneficia nullum Jus, ut supponitur, habuerit, subtractio eorum eô ipsô, quòd injusta non erat, injustum metum causare nequaquàm potuit, qui sufficiens foret ad violentiam inferendam per dicta *l. c. de impedimento metûs.*

Pro fine nota, Concilium Trident. ultrà hoc, quòd raptum inter impedimēta dirimentia reposuerit) quapropter tanquàm impedimentum merè Ecclesiasticum ab infidelibus non attenditur, nec ab illis secundum Magistrium, qui in loco Tridentini non promulgati morantur, & juxta *c. fin. de raptor.* raptam, dummodò liberè deinde consentiat in matrimonium, etsi non fuerit *parti redita tutæ*, ducere possunt) graves etiam pœnas in raptos fulminâsse sequentibûs, *nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniúmque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non* (quia etsi duxerit, raptum tamen commisit, qui hîs pœnîs vindicatur) *decenter arbitrio Judicis*

dicis dotare. Sed hæ omnes pœnæ, excepta exsommunicatione, sunt ferendæ sententiæ, quas ulteriùs dilucidari esset ultra institutum meum.

Atque hæc sunt

Quæ socianda vetant Connubia, facta retractant.

Quia verò *Romanorum Pontificum Decreto cæterorum Opuscula Tractatorum approbantur, vel reprobantur: ita ut quod Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quòd illa repulit, hodie inefficax habeatur. c si Romanorum* 1. *d.* 19. quidquid ultra claram, & apertam Romanæ, seu Apostolicæ Ecclesiæ decisionem in toto tractatu dictum est, illius judicio, correctioni, vel reprobationi lubenti animo, & prompta voluntate submitto, firma fide credens, *quòd Apostolica Ecclesia Mater est omnium Ecclesiarum, à cujus regulis* declarationibus, oraculis *nullatenus convenit deviare. c. non docet.* 1. *dist.* 12. sed potiùs *omnes* Illius *Sanctiones accipiendæ sunt, tanquàm ipsius Divini Petri vocè firmatæ sint, c. sic omnes* 2. *dist.* 19. *tit.*

Ut incepi, ita finio

In Nomine Domini.

THESES

Ad mentem
Subtilis Doctoris

DE DEO UNO

â V. P. Jacobo Kukajna. & Rel.
F. Wilhelmo Sumrekh ex Ord. Minor.
Strict. Observant. S. Theolog. Studiosis
Labaci in Ecclesia D. V. Assumptæ Annô 1744. Mense Septembris die

PRÆSIDE

P. JOANNE NEPOMUCENO TROPPER *ejusdem Ord. Lectore Generali publicè propugnatæ.*

I. THeologia DEI est scientia *II.* simpliciter speculativa. *III.* Nostra verò, cujus objectum est DEus sub ratione veracitatis, *IV.* est simpliciter practica, *V.* nec habet rationem propriæ scientiæ.

VI. Non tantùm Fides divina, *VII.* sed moralis etiam ratio demonstrat DEum existere (*VIII.* immò hoc est etiam per

per se notum) *IX.* esse singularem, *X.* & infinitum. *XI.* Moderna Providentia non datur pro longo tempore ignorantia DEI inculpabilis. *XII.* Valemus Illum nominare secundum naturam. *XIII.* & non tantùm negativè, sed etiam positivè, & conceptu quidditativo intelligere. *XIV.* Inter omnes conceptus præstantior est, quo concipitur sub ratione entis simpliciter infiniti.

XV. Existentia, *XVI.* & singularitas sunt prædicata DEI quidditativa. *XVII.* Essentia Divina continet formaliter perfectiones simpliciter simplices, seu attributa. *VIIX.* Est illis prior prioritate naturæ intelligendi. *XIX.* Cum illis sumpta, *XX.* aut cum creaturis etiam numerata non est perfectior intensivè. *XXI.* Refugit omnem compositionem. *XXII.* Nec includit à parte rei aliquod prædicatum per modum generis transcendentalis.

XXIII. Attributa Divina, & Modi intrinseci non sunt, nisi intensivè infiniti. *XXIV.* Unum est perfectius aliô in suo conceptu quidditativo. *XXV.* Immensitas DEI formaliter non deducitur ex Omnipotentia. *XXVI.* DEus est in spatijs imaginarijs. *XXVII.* Sed nullibi propriè in loco. *XXIIX.* Est tàm physicè, quàm *XXIX.* terminativè immutabi-

tabilis. *XXX.* Libertas Illius in actu secundo non dicit aliquod intrinsecum actui necessario Voluntatis superadditum, *XXXI.* Sed illum ipsum actum, ùt cum indifferentia terminatum ad objecta, seu creaturas. *XXXII.* Æternitas DEI est duratio intrinsecè indivisibilis.

XXXIII. Personalitates Divinæ admittunt prioritatem, & posterioritatē Originis. *XXXIV.* Nec Illæ, nec Attributa distinguuntur ab Essentia realiter, *XXXV.* sed formaliter Scotisticè.

O. A. M. D. G.

Menda graviora		emenda.
Pag.	*lin.*	
27	12 ebrietatem.	servitutem.
34	8 invincibilis	vincibilis
51	29 alter	alteram
57	7 collocata	collata
98	8 baptismum	baptizatum
99	29 ulla	nulla
102	*ult.* solis	solius
161	2 Rubrum	Sumarium
ibid.	17. Rubrō	Summario
193	9 applicans	explicans

Pag.	lin.		
230	3	*lib.* 7.	*lib.* 14.
238	20	ſpiciuut	ſcipiunt
315	7	(NB.)	(NB) *cauſa*
317	23	liberam	viduam
349	2	eu	ſeu
362	4	namque	namque Petrus
404	9	oblatio	ablatio
ibid.	24	oblatione	ablatione
421	4	allata	ablata
450	28	moretur	moreretur
458	21	*attentorum*	*attentatorum*
472	11	ita	item
473	27	Pondrania	Pomerania
475	26	cimparem	,imparem
476	12	N. 3.	N. 374
477	22	quia	pia
479	8	divinitatem	divinationem
481	6	ſupervenire	ſupervivere
483	19	ibidem	idem
486	9	ſit in	ſit conjugium in
487	23	Rubrum	Summarium
489	*ult.*	N. 3.	N. 318.
491	16	maſculo	maſculino
493	5	rarite	raritate.

Alios levioris momenti errores offendiſti, benevole Lector! qui à tua prudentia emendari petunt.